M.B.

FONTANUS

DE USU PARTIUM

DE MOTU MUSCULORUM

DE DEMONST. MED.

1603

XVI 1.

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

FONTAINE, J.

65322/A

IV 2

73

RESPONSIO AD DISPVTATIONEM RESCRIPTAM D. SERPILLONI DOCTORIS MEDICI,

De Vſu partium, de actione earumdem, & de motu muſculorum.

Quibus acceſſerunt duo libri de demonſtratione Medica aucti denuo & correcti.

Authore IACOBO FONTANO, *Sammaximitano Doctore Medico Auenionenſi.*

AVENIONE,

Ex Typogragia I. BRAMEREAV.

M. DCIII.

LONDON·MEDICAL SOCIETY OF
MVSEVM
BRITAN
NICVM
BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. DOMINO D. CAROLO DE COMITIBVS Baroni Romano, Epiſcopo Anconitano, S. D. N. Clementis VIII. apud Auenionenſes Prolegato.

IACOBVS FONTANVS SAMMAXIMITANVS.

MAioribus addictus, noſtra hæc leuiora cõtemneres (PROLEGATE ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME) *niſi eo te præditum ingenio omnes perſpicuè agnoſcerent vt omnibus literaturæ fœturis te fautorem & patrem alacri animo præberes. Illud præclarè teſtatur profeßionis legum, & Medicinæ au-*

gendæ, ad huius ciuitatis, & Religionis Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ vtilitatē, fructumq́; celſitudinis tuæ feruens deſideriū. Quod effecit, vt non vererer tibi offerre hanc diſceptationem Medicam, pignus ſecundū mei in te obſequentiſsimi animi: Quæ ſi acriori paulo ſtilo quàm mea Epiſtola exercitatoria ſcripta ſit, ad id me concitauit, præter meum morem, ſatis acerba aduerſarij reſponſio. Neque elati animi cenſebis, qui benignitate, humanitate, vt & cæteris virtutibus clarus exiſtis: me diſputantis, & demonſtrantis prouinciam ſuſcepiſſe: res ipſa forſam monſtrabit (quod citra iactantiā dictum ſit) num iure ea munera ſuſceperim. Quæ tamen ita à me vſurpa-

ta volo, vt cenſuræ doctiorum ſubdita ſint, cum quibus congredi honorificum eſt: non diſputatiunculis ſemiperitorum qui opinione laudibus propriis apud indoctos concitata, ſibi omnes literatos inferiores reddere conantur. Dum ades, & literis faues (PROLEGATE ILLVSTRISSIME *) excitas doctrinæ & virtutis igniculos, qui tuo fauore & afflatu accenſi, tibi conciliabunt laudes immortales, precabuntúrque omnes quibus illo frui erit conceſſum Deum Opt. Max. vt tua vota & cœpta ſecundet, & quo ſemper maiora moliaris, quæ eſt animi tui præſtantia, proferat vitam in æuum.*

AD LECTOREM.

TArdiorem, hanc meam reſponſionem excuſabunt, qui animo complectentur eam retardatam, æſtuum, præteritorum violentia, praxi ſatis frequenti, reuerendi Inquiſitoris ſancta fidei correctione, Bibliopolæ ſingularis præoccupata induſtria. Tempeſtas futura commodior, & reliqua magis expedita permittent breuiori tempore, ad ea quæ obiicientur, reſpondere. Vale & nos ama.

RES

RESPONSIO AD DISPVTATIONEM RESCRIPTAM D. SERPILLONI DOCTORIS MEDICI,

De Vſu partium, de actione earundem, & de motu muſculorum.

CAPVT I.

Ad diſputationem reſcriptam D. Serpilloni.

PVTABAM meæ Epiſtolæ paucis te reſponſurum, veritatis namque amatores (quorũ albo teipſum aſcribis) paucis multa exprimũt. Verùm ſemper profeſſus grandia turget. Nobis modo eſſe poſſimus, digito monſtrari, & dicier hic eſt, parum eſt curæ. Doctrinæ gratia & exercitationis, diſputationem tuam ad nos reſcriptam excutiemus breuiùs

breuiùs quàm fieri poterit. Et quoniã (tua bona venia dictũ ſit) te leuiter in arte demonſtrandi, quam tantopere Galenus cõmendat, exercitatum in tuis ſcriptis comperi, de demonſtratione medica libros huic meæ reſponſioni coniungam.

Ad ſecundum caput, de parte corporis ſecundum Galenum.

QVÆSTIO prima inter nos fuit propoſita, num in partis definitione vox *vſus* locum habere debeat. Id negare tuæ erant partes, quod vt præſtares longo contextu, & forſan ſuperfluo quid ſit pars Galeno perquiſiuiſti: atque partis notiones duas Galeno familiares, explicaſti: *nempe vt generaliter dicatur, de omni contento in corpore: ſecundò, & propriè de viuente tantùm. Totum námque*, inquis, *eſt vel corporeum, vel viuens.* Cõtemplare Diuiſionis leges, quas ex Ariſtotele, diſputatione contra Platonem inſtituta ca.3.lib.1.de partib. animali, nos explicauimus 2. libro de Demonſtratione medica. Sed ad rem. Pars viuens eſt corporea neceſſariò, inferioribus

namque

namque ſpeciebus, differentiæ eſſentiales ſuperiores continentur, Atqui Ariſtoteles loco citato lege cauit, ne contraria differentia in alia contraria comprehēderetur. Dixiſſe erat ſatius, Pars corporis eſt viuens aut non viuens, imitatus tuum doctiſſi. Præceptorem Augenium qui epiſt.3. lib.11. ita diuidit. Quæ complent ergo, & integrant corpus humanum ſunt partes viuentes, aut non viuentes, ſi propoſitionē tuam de toto, & non de parte intelligas, ita vt totum generaliter ſumptum ſit aut corporeum, aut viuens: ſuperficies, & linea quæ tota ſunt, excludentur limitibus tuæ diuiſionis generalis: ergo intelligis omnem partem corporis, vel eſſe corpoream vel viuentem, atqui negatum eſt corporea poſſe eſſe viuentia, quippe membra eiuſdem tuæ diuiſionis: ergo viuētia ſunt corporea, & nō corporea, quod eſt abſurdum. Concludas ergo aliter, eſt neceſſe. Videtur mihi eo loco Methodi Galenus potius de toto viuente, quàm non viuente loquutus; non viuens enim eſt oppoſitum viuenti, corporeum verò nequaquam: Vnde poteſt facilè colligi quàm parùm intelligas Ga-

leni diſcurſum. Secunda Galeni definitio delicatulis, vt dicis, nō placet, cuius diſplicentiæ rationem nullam affers. Forſan hæc eſt; quod definitio naturam rei explicare debeat: definitio autem Galeni cum per negationem proferatur, magis exponit rem non eſſe, quàm eſſe. Hoc verò reprehenditur ab Ariſtot. 6. Top Verum penuria vocabulorum nonnunquam per negationem definire cogimur. Quare Galenus coactus fuit forſan ea ratione, negatiuā conſtruere definitionem. Nunquid affirmatiua perfectior eſſet, ſi diceretur. Pars eſt quæ cùm propriam habeat circumſcriptionem, toti tamen aliqua ex parte coniuncta eſt. Nam propria circumſcriptio infert nō eſſe vndequaque coniunctam: & ex eo quòd toti aliqua ex parte ſit annexa elicitur vndequaque non habere propriam circumſcriptionem. Vera hæc ſunt. Sed Galenus eo modo quo inueſtigat definitionem, non poteſt niſi per negationem eam deſcribere. Eam inquirit hoc pacto: Pars eſt aliquid totius & relatiuè, & contentiuè (vt doctrinæ gratia ita loquar) non eſt tamen totum: Nam totum vnum eſt propriam

vnde

vndequaque circumſcriptionem habens, nullique alteri coniunctum, Pars verò licet propriam habeat circumſcriptionem, non tamen vndequaq;, quia coniungitur aliqua ex parte toti. Eſſentiæ ergo partis explicatio magis cõſiſtit in negatione, quàm in affirmatione: res enim ſeparantur negatione, affirmatione copulantur: vel pars efformata, & figurata hoc habet commune cum toto vt vna dicatur quòd vti totum propriam habet circunſcriptionem, & quoniam de ratione partis eſt, vt ſit coniuncta toti, ſi námque diſiungeretur eſſet totum ſeparatum, vtpote vndíque circumſcriptum; differt ergo à toto, quod vndequaque propriam non habeat circumſcriptionem, nec vndequaque ſit coniuncta toti. vnde ſequitur neceſſariò vt illud pars efformata, & figurata alicuius totius ea dicatur, quę nec vndequaque circunſcriptionem habeat propriam, nec vndequaque toti coniungatur. Circunſcriptionem duplicem conſtituis, vnam à principio interno, alteram à materia. A forma & à materia, quatenus tales, nulla naſcitur circumſcriptio; circunſcripta námque firma eſſe

oportet, & ideo humoribus fluidis tu denegaſti circumſcriptionem: firma verò illa, & ſolida circumſcripta dicuntur, quòd termino, vel terminis circumſcribantur, qui termini figuram eius perficiunt, hi termini licet ſint in materia, non ſunt tamen à materia; materia námque quatenus talis cauſſa eſt indeterminationis potiùs, quàm circumſcriptionis, fluida namque materiam habent neque circumſcripta dici poſſunt, eo quo intelligis modo. Neque à forma circumſcriptio depẽdet, eius namquè non eſt efformare nec limitibus coërcere quatenus talis eſt, ſed informare. Circumſcriptio pendet ab efficiente, qua ratione diſpoſitiones introducit in partes, ad obſequendum formæ, quæ tunc temporis finis habet rationem. Quamobrem Gal. cap. 2. lib. 1. de vſu part. ſcribit omnibus animalibus aptum eſſe datum corpus animæ moribus. Illa aptitudo conſiſtit in quadam efformatione, & circumſcriptione partium: Natura ergo effingit & efformat partes propter finem, & propter formam, vt cui præparantur. Eſt namque duplex finïs ᾧ, & οὗ, ex Ariſto. cap. 4. libr. 2. de anima, hoc Galenũ im-

pulit

pulit vt maximam partem demonſtrationum quas de vſu partium deſcribit, duceret à fine proindéque, quia manus vſus, & fines ſunt multiplices varij admirabiles, & conſpicui, ab explicatione vſuum manus auſpicatur ſuos de vſu partium libros, ordine doctrinæ, in quo à magis perſpicuis, ad obſcuriora progrediendum eſt. In hoc ſequitur Præceptorem Ariſtotelem qui ca. 9. lib. 2. phyſices, demonſtrat neceſſitatem præparationum materiæ pendere à fine. Et ne ſuperiorem methodum me confingere exiſtimes, verba Gal. apponam; quæ ſcribuntur cap. 8. lib. 1. de vſu part. Cùm dixiſſet Hippo. in totius corporis ex membris compagine (quam ὀλομελίην vocat) omnia compati & conſentire, partis autem cuiúſque particulas ad eius actionem conſpirare: æquum mihi viſum eſt, ſermonem hunc priùs in his partibus, quarum manifeſta eſt nobis operatio, explorare: vt à quibus ad alias tranſire liceat. In ſuperiori doctrina, maximè aduertenda ſunt & diſtinguenda. Propriam habere circumſcriptionem, & vndequaque propriam habere circumſcriptionem. Partes corporis figura conſtantes

habet propriam circumſcriptionem à ſuis terminis, quibus ab aliis ſeparantur, & idcirco propria dicitur illarũ circumſcriptio, non tamen vndequaque, quia toti aliqua ex parte coniunguntur. Vndequaque verò propriam habere circũſcriptionem, eſt termino, aut terminis præfiniri, ita vt alteri non cohæreat. Quocirca propriam habere circumſcriptionem non infert animatum eſſe neceſſariò. Vnguibus namque nemo propriam circumſcriptionem denegabit, animati tamen non ſunt: atque ideo recentiores vti has partes ab animatis ſciungerent, addiderunt definitioni, vt communi vita coniunctæ eſſent. Quæris deinde (meo iudicio) quænam pars definiatur à Galeno, In poſtrema definitione dubiè ſané reſpõdes includi caracteriſmum partis actionem edentis: víſque ſignificare Galenum definiuiſſe partem actionem edentem. Illud probare contendis, hoc modo. *Quod habet propriam circumſcriptionem neceſſariò edendæ actionis eſt capax, quia,* inquis, *facultas, actio & opus ſunt in relatis*, ex Galeno 1. de natural, facult. Aduerte quo pacto argumenteris, facultas, actio, & opus ſunt in relatis, ergo quod

quod habet propriam circumſcriptionem edendæ actionis eſt capax, æquè ſequitur, ergo baculus eſt in angulo. Num iure logicam contemplationem mihi hoc loco, vitio vertere poſſis, logicis ſubtilioribus relinquo iudicandum. Interim memineris ex loco citato actionē habere relationem ad facultatem, & non ad vitam, vt conaris ſuſtinere, ſed meliùs hoc pacto tua propoſitio probaretur. Quod propriā circumſcriptionem habet ab efficiente propter animam cui membrū ſubſeruit, id neceſſariò edendæ actionis eſt capax, quia cum ab agente, & conformante circumſcriptio illa præparetur animæ obſequio, nec fruſtra quicquam efficiat, opoitet eam actionibus ſeruire, proindeq; agere quod eſt argumētum ductum à fine. Definit ergo Galenus partem efformatam, & ſuis limitibus circunſcriptam, quæ aut eſt animata, aut inanimata. Deſcendo ad tuum fundamentum doctrinæ huius, *Fundamentum*, inquis, *huius doctrinæ eſt, quòd cùm nihil non animatum ſit pars, nihil facultate carens ſit animatum, nihil operatione omni carēs habeat facultatē, hinc à primo ad vltimum nihil pars erit quod actio-*

nem

nem non edat vel actu vel potentia. Videamus num concludas. Omnium iudicio, tua argumentatio eſt ſorites, illud enim ſignificat modus conclu dendi à primo ad vltimum, in quo, vt didici à Patribus meis præceptoribus attributum primæ propoſitionis ſubſequentis debet eſſe ſubiectum & ita deinceps, quoad in concluſione ſubiectum primæ propoſitionis cõnectatur cum prædicato extremæ. Parcant mihi tuæ aures maioribus aſſuetæ. Erat ergo tibi ita ratiocinandum: Nihil pars eſt in noſtro corpore, quod non ſit animatum, nihil eſt animatum quod non edat actionem, ergo nihil erit pars quod actionem non edat. Si velis eſſe ſyllogiſmum in prima figura, ob medij diſpoſitionem quod in prima propoſitione cum ſubiicitur, in minore attributum exiſtit, hoc eſt impoſſibile: cum quatuor propoſitionibus conſtet tua ratiocinatio. Cogis me non repueraſcere ſed rehomeſcere vt ita loquar: nihil enim tam hominis eſt quàm ratiocinari: nihil magis ducit rationem quàm logica: ergo nihil facit hominẽ magis rehomeſcere quàm logica, atque ideo logicæ expertos fugiẽdos ſcribit Ga-

lenus in lib. de conſtitutione artis. Hæc de parte ſatis ſint: de actione publica propria, priuata cuius mentionem facis cap. de actione agetur.

Ad Caput III.

De omonimia vocis vſus.

CVM ex Gal. doctrina, tres tantum vſus ſignificationes conſtituiſſem, nimirum vt ſignificaret aptitudinem ad agēdum, finem, & vtilitatem. Placuit tibi quatuor vſus ſignificata proponere, & diuerſa aliqua ex parte à noſtris. Primò vſus tibi denotat actionem, & confunditur cum ipſa actione. Vſus non poteſt eſſe actio, niſi qua ratione actio eſt finis partis agentis. Ita enim Galenus eſt interpretandus, loco à te citato perinde enim ſcribit, ac ſi diceret, finis cuius gratia manus fuit cōdita. Illud conceptis verbis expreſſit cap. 8. libr. 1. de vſu partium dum ſcribit, omnes partes manus apprehēſionis gratia eſſe fabricatas: at cuius gratia aliquid fit, id eius finis iure ap-

pellatur ergo hæc ſignificatio reuocatur ad noſtram ſecundàm, in qua vſum pro fine vſurpamus. In tuo ſecũdo ſignificato vſus ſumitur pro facultate animæ, id probare contendis ex eo quòd Gal.cap.2.lib.17. de vſu part. ſcribat eos libros eſſe vtiles ſcire aliquid cupientibus de vi ipſius vtilitatis, & vt probes ita debere legi, ſubiungis textum græcum περὶ χρείας δυνάμεως: confirmas ita interpretandum ex ſequentibus verbis, *de vi facultatis ſeu ipſius animæ*. Certè χρεία ſignificat vſum non animam, ergo dicendum de vi vſus, ſiue vtilitatis: ſequitur in textu Galeni, quam (ſcilicet vim) nõnulli Philoſophorum omnino eſſe negant: adiice reliqua quæ ſubtices. Tantùm abeſt (inquit Galenus) vt animalibus proſpicere fateantur. Ex illis ſic ago. Nemo eſt Philoſophorum qui animum eſſe negauerit, nemo qui vnquam dixerit animę facultatem proſpicere animalibus, error ergo eſt in græco, & Latino contextu, qui te impulit ad hanc ſignificationem effingendã: Eum errorem aduertẽs doctus interpres in margine appoſuit loco vtilitatis, opificis, vt colligere eſt ex iis quæ ſequi diximus multi nam

ti namque Philoſophi negarunt vim eſſe aliquam diuinam, quæ proſpiciat animalibus. Illam autem opificis vim & interpretationem confirmant plurimi apud Galenũ loci; inter quos præclariſſimus legitur, cap. 1. lib. 17. de vſu partium; ſi quis (inquit Galenus) nulli ſectæ addictus; ſed libera ſententia rerum conſiderationem inierit conſpicatus in tãta carnium ac ſuccorum colluuie, mentem tamen habitare cernens, item & cuiuſuis animalis conſtructionem (omnia enim declarant opificis ſapientiã) mentis quæ cœlo ineſt excellentiam, intelliget: tum opus de partiũ vtilitate, quod prius exiguum ſibi eſſe videbatur perfectiſſimæ Theologiæ, verum principium conſtituet; quæ Theologia multo eſt maior, & præſtantior tota medicina. Valeriolam citas authorem huius opinionis qui cap. 12. lib. 1. locorum communium ſcribit, vſum interdum pro facultate operatrice, interdum pro fine cuius gratia conſtructa eſt, ſumi. Hoc verò non deducit ex textu quem imperfectè deſcripſiſti: ſed ex commentariis Galeni de facultatibus naturalibus cum ait: Iam declaratum eſt in omni-

bus ferè corporis particulis eſſe vim quà excrementa ſecernantur, hæc quamuis ſemper ipſis adſit, non tamen ſemper vtuntur ea, niſi cum moleſtantur ab excrementis. Ex eo ita argumentatur, Valeriola partes vtuntur vi & facultate ergo vis & facultas ſignificat vſum, pari modo aliquis vtitur gladio, ergo gladius ſignificat vſum, inferēdum potius ergo ea res habet vſum, ideſt vtilitatem: atque ideò hæc ſignificatio reuocatur ad tuam quartam, & ad noſtram tertiam ſignificationem: & tua quarta, ad noſtram tertiã. Manet ergo firma & tecta noſtra diſtinctio æquiuocationis vocis vſus. Eam nempè ſignificare aut aptitudinem ad agendum, aut finem, aut vtilitatem.

Ad

Ad Caput IIII.

In quo contendit, D. Serpillonus vſum ſecundùm prædicta ſignificata expungendum à definitione partis viuentis.

TOtis viribus contendis probare vſum in definitione partis animatæ vel vt dicis, viuentis, nullo pacto recipi poſſe, & quia tibi nō placet definitio à Fernelio data recipiamus illam Præceptoris tui Augenij viri doctiſſimi: Pars, ſcilicet, eſt corpus ſolidum non vndequaq; propriam circumſcriptionem habens, toti cohærens communi vita conhabens, ad illius functionem & vſum, ab innato calido procreatum. Is vt alij, non exiſtimauit partem viuentem poſſe definiri ſola propria circūſcriptione, ſed addendum præterea, vt communi vita cum ipſo toto fruatur, quo ſeparetur à non viuentibus: quæ licet potiantur propria circūſcri-

ptione, vita tamen carent. Probas inſtitutum quatuor concluſionibus; Prima deducitur ex interpretatione Fernelij quam parùm curamus, hac enim in re quæſtio eſt vniuerſalis, tu verò interponis probationem particularem. Ad rationem quæ videtur ſpectare ad propoſitam quæſtionem venio. Argumentaris hoc modo, meo iudicio. Quod locum habet in non viuentibus partibus, non poteſt attribui viuentibus: vſus pro vtilitate ſumptus eſt in non viuentibus, ergo viuentibus attribui nullo pacto poteſt. Vel hoc pacto: id ſolùm debet poni in definitione partis viuentis quod eſt characteriſmus vitæ vt actio: vſus pro vtilitate ſumptus, non eſt characteriſmus vitæ, quod conueniat etiam non viuentibus, ergo. Primam ratiocinationem ſi admittas, fatearis oportet viuentia non eſſe corporea, cum non viuentia corporea ſint, Secunda æquè falſa eſt, cùm ſolidum toti cohærens nō ſit vitæ characteriſmus. Poſtquam diu tecum diſceptaſti, reſpōdes autorem huius definitionis in mente habuiſſe partis cauſſam finalem tradere, quã duplicem affert, actionem vel vſum; fateriſq;
vſum,

vſum, vt ſignificat finem, poſſe habere locum in definitione illa, niſi opponeres ſuperfluam eſſe vſus vocem, quòd pars ſolo vſu contenta eſſe non poſſit. Licet non ſit cōtenta ſolo vſu, vt neque propria circumſcriptione, nihilominus ſolidum in partis definitione locum habet. Totā ſecundam concluſionem concedimus de qua cap. de actione.

Tertiam eramus omnino prætermiſſuri, cum vſum nullo modo pro facultate ſumi poſſe à nobis firmiſſima ratione probatum ſit: niſi argumentū duceres ab æquiuocatione vſus. Ariſtoteles, inquis, libr. 6. Top. obſcura reiicit à definitione, æquiuoca autem talia ſunt, definitio vero rei enucleandæ cauſſa datur. Vox vſus eſt æquiuoca, verùm poſtquam diſtincta fuit, poteſt etiam habere locum in definitione, quod tu cōceſſiſti: vſus in definitione partis viuētis ſumitur pro vtilitate, quam minùs præcipuæ partes præcipuis præſtant. At tale nomen eſt adhuc æquiuocum. Nego, nam quo modo vſus ille attribuitur partibus illis viuentibus, non poteſt conuenire vita carentibus: Nulla namque pars

vita

vita carens eſt pars diſſimilaris partis, ſequeretur enim partem diſſimilarem viuẽtem componi ex aliqua parte non viuente. Verùm vnguis eſt pars manus. Nego eſſe partem manus, vt viuens eſt, ſed additam à natura propter aliquam commoditatem, nempè ad firmitatem apprehenſionis, ex Gal. cap. 7. lib. 1. de vſu partium: Partes verò quæ ſeruiunt præcipuæ ſunt partes viuentes, & ſine earum vſibus actio partis totius exerceri non poteſt, quod non contingit in vſu partium non viuentium, nam vſus partium non viuentium eſt ad commodiorem actionem edendam, non ad actionem ſimpliciter: manus apprehẽderet ſine vnguibus, ſed non æquè firmiter. At oculus non videret ſine membranis, aut aliquo illis analogo: actio namque licet totius eſſe dicatur, vt viſio oculi & partis ſimilaris præcipuæ, tamen ad illam concurrunt vſus reliquarum ſimilarium ex quibus componitur. Vnde ſequitur vſum partium viuentium quæ componant diſſimilarem non conuenire partibus non viuentibus. Quare non eſt æquiuocum eo modo ſumptum.

Quarta

Quarta propoſitio, definitio debet eſſe propria ex lib. 6. Top. Propriam verò definitionem appellas quæ conuenit omni, ſoli, & ſemper ſuo definito: atqui definitio facta per actionem conuenit omni, ſoli, & ſemper parti animatæ, aut viuenti, vt viuit: ergo debet pars viuens definiri per actionem. Quis negat? nõ tamen ſequitur vſum eo quo diximus modo acceptum ab ea excludendum. Canon namque definitionis deſcribitur in eodem libr. Top. Definitionem debere conuenire omni contento ſub definito, atqui partes viuentes qua ratione ſeruiunt præcipuę parti non dicuntur agere, ſed vſum habere. Ergo quo omnibus partibus viuentibus illa definitio competeret, vſus, eo quo explicauimus modo ſumptus, in definitione eſt collocandus.

In tua ſecunda reſponſione aſſeris inſtrumentorum vſum, ſeu finem eſſe actionem inſtrumenti. Totius vſus eſt actio, ſed partium inſtrumenti vſus non ſunt actiones, exiſtunt namque in illis ex Gal. vel nihil agentibus. Quæ profers ex libris methodi medendi intelligenda de cognitione vſus, non de eius eſſentia, vt enim actio

non poteſt exerceri ſine partium vſibus, ita nec vſus intelligi ſine cognitione actionis: Cùm enim vt demonſtratum fuit vſus partium conſiſtat in certa diſpoſitione illarum : ratio verò illius diſpoſitionis pendet à fine, qui in partibus eſt ipſa actio: non poſſunt cognoſci vſus niſi actione præſpecta. Cæterum nobis nunquam in mentem venit tua penultima obiectio.

Poſtremo loco affers definiendi Canonem ex Themiſtio 2. lib.poſt. in quo vt tu deſcribis,non reperitur,tamen verum eſſe, poteſt admitti.Ex eo ſic argumentaris.*Vſus non eſt differentia communis omnibus partibus viuentibus. Nam conuenit tantùm inſtrumentariis.*Nomine inſtrumentarij efformatum & figura conſtans debet intelligi,nam quæ informia ſunt in noſtro corpore inſtrumenta non poſſunt dici. ſimilare autem & inſtrumentarium non ſunt oppoſitæ differentiæ partium, quòd quædam ſimilares partes ſunt inſtrumentariæ, vt vena, arteria,neruus:ſimilare & diſſimilare contraria ſunt. Quô autem Canon ille Themiſtij intelligi poſſit paulò altius res eſt contemplanda.

Defini

Definitionis inueſtigandæ duplex modus traditur ab Ariſtotele 2.lib.de demonſtratione.Primus per diuiſionem generum in differentias ; alter per analyſin & reſolutionem progrediendo ab indiuiduis ad rationem aliquam communem illis,ídque toties repetendo quoad definitio inuenta ſit;Eius verò quæ quæritur per diuiſionem duplex eſt ratio , vna cùm diuiditur genus per differentias proximas vſque ad infimas ſpecies , quæ Platonica dici poteſt quam imitatus eſt Porphyrius : altera vt præcipit Ariſtoteles libr. 1.de part. animal. quando genus rei propoſitæ ad definiendum per tot diuiſiones diſtribuitur quot ſunt illius rationes variæ , & vt ita loquar, reſpectus. Deinde ex illis diuiſionibus illæ differentiæ ſumuntur quæ propoſito definiendo conueniant.De eo diuidendi modo fuſiùs egimus libr.2.noſtro de demonſtratione medica: Hæc ratione partes corporis poterũt diuidi primò, vt aliæ ſint ſimilares,alię diſſimilares;ſecũdo aliæ organicæ, aliæ nõ organicæ: tertio aliæ actionẽ habẽt,aliæ vſum tantũ,& ſic deinceps.His poſitis ſi proponatur membrana oculi de-

finienda cam deſcribemus, partem ſimilarem organicam, quæ habet vſum oculo cōuenientem. In diuiſione Platonica vera eſt Themiſtij Propoſitio: in poſtrema verò quam Ariſtoteles conſtituit contra præceptorem Platonem, vera non eſt, cum omnes differentiæ generū ſeorſim ſumantur, & accommodentur rei definiendæ. Quare cùm ſint aliquæ partes viuentes quæ actionē habeant, aliæ verò quæ vſum tantum, eo quo dicimus modo ſumptum, ſequitur neceſſariò vſum in definitione partis viuentis eſſe collocandum.

Reſpondetur ad ea quæ à D. Serpillono fuere excogitata in primam partem noſtræ Epiſtolæ.

IN tertia ſignificatione in qua vſus ſumitur pro fine, exempli gratia à nobis dictum fuit, hoc ſignificato pulſum qui actio eſt referri ad vſum. Tu verò ita redarguis: *Refrigeratio*, inquis, *& reparatio ſpiritum ſunt vſus actionis, non autem arte*

arteriæ.Certè arteriæ ibi ego non memini, etſi vellem cauillari arteriæ vſus non tantùm eſt ſpiritus vitalis diſtributio, ſed & ſanguinis arterialis. Sed minima non curat prætor. Neque eo loco ego colligo; ob eam rem vſum eum locum ſibi vendicare in definitione partis viuentis, licet paulò poſt aſſeram, vſum vt ſignificat finẽ, phyſiologica partium cõſideratione, poſſe admitti in definitione partis, & vt ob oculos ponam, partium diſpoſitiones referri ad actionem vt ad finem, dico cor eſſe conditum ad pulſum edendum. Multa coniicis in hanc particulam, parum tamen ad rem: quod enim exemplo poſitum eſt, id tanquam ratum ab authoribus nunquam accipitur: ex quo illud apud Philoſophos pronunciatum, in exemplis non eſſe quærendam veritatem. Non ignoramus tuam diſtinctionem; ita argumentaris: vſus partis eſt actio principalis, pulſus nõ eſt actio principalis, ſed inſeruiens illi ergo cor non eſt conditum ad pulſum efficiendum. Nego ſequi, ſunt enim vſus multiplices, alij proximi, alij remoti. Pulſus eſt finis proximus cordi, non vltimus ad quem refertur.

In quo oſtendis te non meminiſſe eorum quæ cap.1. Eth. Ariſtotelis leguntur:in quo ordinem finium plurium inter ſe demonſtrat,nec ego diſputo hoc loco de vſu cordis. Nihil eſt hoc aliud quàm ſcripta mole, non veritate metiri. Reliqua ad rem non pertinent.

Miror ingenij tui ſubtilitatem non penetraſſe rem facilem explicatu;non eſt defectus penetrationis, ſed exceſſus transpenetrationis. Aquila non captat muſcas, vt enim ex Ariſtotele 1,Metaphyſ. Omnes non diſcunt eodem modo, ita omnes non cognoſcunt eodem pacto. Exemplum argumentatio eſt plebeia,ingeniíque parum acuti,vt in qua ex particulari aliud particulare inferatur:magnum magna decent. In aliorum ergo gratiam dixeram hoc ſignificato pulſum, qui actio eſt, referri ad vſum:licet actio ipſa ſit vſus partis, quòd referatur ad finem, & quoniam in illa propoſitione,referri ad vſum, id eſt, ad finem actionem partis, alicui poterant videri abſurda, quòd finis quatenus finis non referatur ad alium finem: docui ſimilitudine ex Galeno deſumpta de muſculo variè

compa

comparato, actionem referri ad vſum, & eſſe vſum partis vario reſpectu.

In explicatione tertiæ ſignificationis uſus dico propoſitiones allegatas ex libr.2. Galeni de locis affectis eſſe ſubobſcuras, nimirum actionem eſſe motum factiuum partium, & vſum eſſe in partibus etiam nihil agentibus. Tu compulſus reprehenſionis deſiderio quod vt de vindicta Homerus, melle dulcius eſt, ante æſtum Caniculæ eius effectus perſenſiſti: concitatus itaque non aduertiſti obſcuritatem imò eam ludibrio habuiſti, plebeiam, non medicam illam vocitans: nos in Sirij feruore vel maximo, quietiore animo demonſtrabimus rem propoſitam ſubobſcuram eſſe, & de ea plebeiorum eſſe nō valdè dubitare. Forſan vis experiri nùm plura ſciam, quàm mea illa chartula, quam ad te, vt miles emeritus miſi. Gladiatorum præceptū eſt, vt digladiantis corpus quàm minimum fieri poteſt Andagoniſtę pateat; Qui pauca ſcribit minùs eſt reprehenſioni obnoxius; popularem auram captando multi ſibi damnum maximum comparарunt: non eſt omnium multa doctè ſcribere

bere: audi quæ noſtrum animum dubium reddiderunt. Multi motus partium ſunt euidentes, vt deambulatio: multi nõ euidentes, vt attractio alimenti: ne putes nos perperam loquutos, qui tibi lynceo eſt euidentiſſimus, & cum motu fibrarum partis attrahentis. Præterea Galeno cap.3.lib.3. de ſymptomatum cauſſis actionum naturalium duo ſunt genera: aliæ namque alteratrices, aliæ factiuæ ſiue practicæ: ſi actio eſt Galeno motus factiuus, alteratio non erit factio, cùm alteratrices à factiuis diſtinguantur. Ergo iure dictum fuit propoſitiones illas eſſe obſcuras: adde motus explicationẽ quæ obſcura exiſtit. Verùm ad pauca reſpicieẽti, inquit Ariſtoteles, facillimũ eſt pronũciare. Luſtra poſteriora verba tuæ nimis concitatæ reprehẽſionis, tibi cui actio eſt characteriſmus vitæ, erat dicendũ attractio alimenti, qua ſcilicet alimentum pars ipſa trahit: ſiquidem ſimpliciter pronunciaſſem attractionem, cùm magnes attrahat ferrum, nec viuens ſit, actionem nõ admiſiſſes in numero motuum actiuarum: partium ergo mihi fuit neceſſariò ſcribendum tibi, attractio nutrimenti, qua

ſcili

ſcilicet alimentum trahitur, proindéque non exiſtimaui attractionem alimenti eſſe motum paſſiuum, ſed actiuum. Prætermiſiſti rem animaduerſione dignam, quî fiat vt cap. 8. lib. 3. de facultatibus naturalibus Galenus ſcribat atrractionem fieri per motum fibrarum rectarum, & tamen cap. 7. lib. 2. eandem pendere à facultate inſita fateatur, nulla facta fibrarum mentione: inquit enim poſtquam ſuperioribus capitibus contra Eraſiſtratum diſputauit de nutritione. Ergo ad quem modum attrahatur alimentum in genere inueſtigemus, quo porrò alio reſpondet, quàm ſicut à magnete ferrum, qui ſcilicet talis qualitatis trahendæ vim habet. Attractio alimenti per exophagum indiget muſculo principium exophagi obuoluente, trahit autem per fibras rectas. Seri attractio non fit per fibras, ſed à vi inſita renibus, ſi quid enim fibris cõtineatur iiſdemq; præmatur trahi poteſt vlteriùs, quod non continetur fibris nec præmitur trahitur à facultate, eo modo, quo magnes attrahit ferrum.

Oedipus ego non ſum, tamen auſim affirmare, hoc loco, tuam reſcriptam

alienis veſtiri plumis. Mirãdum vnde tam ſubitò factus es ſubtiliſſimus Metaphyſicus, qui paulò ante vim vtilitatis pro poteſtate opificis, vſurpabas. Acuta ſunt quæ deſcripſiſti, ſed illis facilè reſponderi poteſt.

Non conſtitueram ego exactiùs agere de definitione motus, quod hîc non eſſet locus, ſed breuiter demonſtrare in quo maximè differrent motus actiuus & paſſiuus: vt cùm ventum eſſet ad quæſtionem de actione, illud pro cõceſſo haberetur: in hoc imitatus præceptorem Galenum qui 6. cap. libr. 1. methodi medendi craſſa minerua definit motum, prioris habitus & ſtatus mutationem, actiuum verò motum qui ab agente editur, paſſiuum qui ab alio recipitur. Quocirca cùm ad diſtinguendum ſatis eſſet dixiſſe, motum paſſiuum eſſe actum rei exiſtentis in potentia paſſiua, actiuum verò actum rei exiſtẽtis in potentia actiua: non debui tam acerbè reprehendi: cum ipſemet Ariſtoteles ſæpius repetendo alibi probata, imperfectè quędam præfiniat. Subterfugerem ego diſputandi occaſionem, ſi ea quæ à te dicta ſunt non

exa

exanimarem. Quare paulò accuratius prę-ter inſtitutum rem ipſam aggrediar: vt in-telligas ea quæ à me ſunt de induſtria præ-termiſſa, poſſe ſi voluiſſem ſuo loco repo-nere. Ad rem itaque hoc modo aggre-diar.

Mobile antequam moueatur, poteſt moueri, ergo mobile antequam mouea-tur, potentia eſſe dicitur ad motum. Cùm mouetur actu, acquiſiuit illud quod pote-rat habere cùm potentia mobile diceretur, nempe motum, per quē eſt illud quod poterat eſſe: illud quod effecit vt res ſit quod poterat eſſe, facit vt res quæ erat po-tentia ſit actu quod poterat eſſe, nempe actu mobile. Quod verò actu dicitur eſſe aliquid, illud eſt per actum: at motus eſt il-lud per quod mobile dicitur moueri, ergo motus eſt actus rei quæ poterat moueri. Verùm mobile antequam motu agitetur eſt in duplici potentia, vna ad motum, al-tera ad terminum motus. Primæ potentiæ ratione motus eſt actus, efficit enim mo-tus vt quod erat mobile potentia, veluti la-pis quieſcēs actu moueatur, eam enim po-teſtatem motus perficit: ratione verò alte-

rius potentiæ, nempe ad terminum motus, motus ipſe non eſt actus, nō enim ampliùs mobile moueretur, ſi alia potentia priuaretur. Dicitur ergo iurè motus, actus rei exiſtentis in potentia diſiunctiuè ſcilicet, & non reſpectu eiuſdem potentiæ: nunquam enim actus poteſt eſſe cum potētia, cuius ratione actus dicitur, ſecus contraria eſſent in eodem: actus enim & potentia conſtituunt vnam diuiſionem entis. Secundò motus eſt actus rei exiſtentis in potentia, quatenus in potentia, quod multa ſint quæ agendo repatiantur: vt omnia ſublunaria, quæ dicuntur moueri quatenus in potentia ſunt, & patiuntur ab alio, non quatenus agunt: ergo motus paſſiuus eſt actus rei exiſtentis in potentia, vt in potētia eſt. Paulò poſt agemus de motu actiuo: ſed antea deſcendo ad ea quæ deſcripſiſti, inquis, *priorem potentiam in illa definitione perfectionem actus minuere, quæ cùm in ſolis perfectis formis omni potentia exutis reperiatur, non poteſt eſſe in motu qui intantùm eſt actus quatenus habet illam potentiam.* Quæ Philoſophia eſt hæc, actum non poſſe eſſe in motu? quod perinde eſt, ac ſi diceres actum

actum non eſſe in actu, nam motus actus eſt: deinde ſubiungis *qui motus in tantùm eſt actus, quatenus habet illam potentiam.* Actus non habet potentiam, ſed res quæ habet actum, ratione primæ potentiæ eſt cum potẽtia poſteriore, ratione termini. Et certè ſi actus habet potẽtiam, eſt, & quodammodo non eſt, actus enim eſt per quem res eſt, & magis quàm ipſa res, Propter quod enim vnumquodque eſt, & illud magis ex 1. de demonſtratione: quod verò dicitur in potentia eſſe nõdum eſt. Quare quodammodo non eſt, ergo cùm potentia prima non poſſit eſſe cum actu, non diminuit eius perfectionem. Dicendum ergo erat motum in tantùm eſſe actum, quatenus expellit à ſubiecto primam potentiam: verùm quia mobile habet alteram potentiam ad vlteriorem gradum, dicitur actus eſſe cum potentia reſpectu diuerſorum. De motu actiuo nunc diſſeramus. Actio dicitur motus actiuus, cum ergo motus attribuatur actioni & motui paſſiuo videndum in quo conueniant, & in quo differant, & nùm illa definitio iam explicata vtrique poſſit conuenire, & quo modo.

Motus eſt in illo cuius actus eſſe dicitur: atqui motus eſt actus mobilis: ergo motus eſt in mobili tanquam in ſubiecto: Rurſus quidquid eſt in potētia, illius actus aliquis eſſe poteſt: atqui tam id quod mouet, quàm id quod mouetur eſt in potentia: mouens namque aliquando actu mouet, nimirum cùm agit: aliquando potentia, cùm non agit: ſed mouens in actu eſſe exiſtimatur, quando actu agit, & mouet: ergo eſt aliquis actus agentis. Verum idem eſt quod patiendo mobile recipit, & quod agens in ipſum mobile tranſmittit: ergo idem eſt actus vtriuſque, motus verò eſt actus eius quod mouetur, quem recipit à mouente, ergo motus eſt etiam actus mouentis. Licèt autem idem actus ſit re ipſa, tamen ratione diſtinguitur, dicitur namque actus agentis, vt ab illo proficiſcitur, mobilis autem quatenus recipitur in illo: vt ergo motus dicitur actus mobilis, ita & mouentis: at in mobili conſiderabamus duplicem potētiam, vnam antecedentem motum, alteram conſequentem: & ita definiebatur motus, actus rei exiſtentis in potentia, quatenus in potentia eſt. Videndum

dum nùm in agente illæ duæ potẽtiæ poſſint admitti, vt ſuperior definitio mouenti accommodari poſſit. Mouens antequam agat, poteſt agere; per motum actiuum efficitur vt actu agat: ergo motus eſt actus illius potentiæ, quæ potentia erat, vt ſcientia. Poſtquam autem incepit agere, éſtne potentia ad aliquid aliud? ſi eſt potentia ad aliud illud acquirit continuitate actionis: at nihil illa acquirit ſibi, ſed paſſo & mobili. Quare non dicetur motus agentis actus rei exiſtentis in potentia, vt in potentia ratione mouentis, ſed qua ratione illa actio refertur ad acquirendum terminum mobili, non mouenti: ergo ſi actio definiatur motus actiuus, ille motus eſt agentis actu exiſtentis in potentia, quatenus actus refertur ad terminum mobilis, & non mouentis. Quod expreſſit Ariſtoteles ad finem cap. 3. lib. 3 phyſ. In quo definiendo motum agentis mentionem facit mobilis & mouentis ſimul: non vt tendit ad ſuam operationem (vt tu dicis) nam qui agit non tendit ad actionem, nulla enim res tendit ad id quod habet: ergo ratione actionis potentia eſſe non dicetur, ſed tan-

tùm

tùm reſpectu perfectionis mobilis quam nondum, vt cauſſa illius acquiſiuit. Ergo cùm facultas reuocatur ad motum, eſt vt ſcientia; cùm verò agens agit vt contemplatio. Atque hæc ſatis ſuperq; ſint, præter inſtitutum.

Quæris *ſi vſus valeat pro inuenienda parte affecta*, neſcio quàm Latinè, *Quæro*, inquis, *an conducat quod ſeruetur vſus integer parte læſa ad cuius affectæ cognitionem nos ducit? an quia cum actione tollatur? Priori modo nihil monſtrat præter ſanitatem: poſteriori ſecundùm quod afficitur ſimul cum actione, inſtrumentaria, ſic nos docet, quæ pars ſit affecta.* Ex quibus poſſumus colligere vſum affici ſimul cum actione, qui modus loquendi Medicum non ſapit: Medici namque affici partem, lædi verò actionem dicunt, verùm erat tibi fatendum vſum lædi cum actione, quod liberè profiteri non audes. Ad mea reuertor: Probabam vſus contemplationem, vt ſumitur pro vtilitate, eſſe neceſſariam in conſideratione partis animatæ. Omnis namque contemplationis labor in Medicinæ praxeos cauſſa eſt ſuſcipiendus. Cùm ergo vſus nos ducat ex Galeno

ad co

ad cognitionem partis affectæ, quæ in Medicina exercenda apprime eſt vtilis, vt ex qua vna ex præcipuis ducatur indicatio: hinc deducebam in definitione partis viuentis vſum collocari debere, non vt ſignũ partis affectæ, vt paulò poſt explicabimus, ſed vt explicans naturam læſæ actionis. Quæſtio à te propoſita cõtemplatione digna eſt, neſcio an reſponſio admittenda. Nomine vſus, hoc loco, Galenus intelligit vſum partium viuentium quæ parti præcipuæ ſubſeruiũt, vti exemplũ de excretione vrinæ à Galeno propoſitũ, declarat. Læditur actio, aut præcipua parte male affecta, aut illi ſeruiente: ſi ſeruiẽs afficiatur huius vſus læ ditur, vt enim illius vſus præcipitur in bona partis ſeruientis conſtitutione, ita in labefactata læditur. Quare ſi quis cernat actionem totius partis læſam eſſe, debet ita ratiocinari. Actio læſa contingit propter partis affectionem prętér naturam, ex 1. lib. de locis affectis. Atqui pars inſtrumentalis conſtat præcipua parte, & aliis illi ſeruientibus; ergo cum læditur actio, aut pars præcipua eſt malè affecta, aut pars inſeruiens, vſu namque ſubſeruientium læſo, læditur

actio. Quare ex cognitione vſus læſi cuiuſque partis cognoſcitur pars malè affecta: quòd ſcilicet vſu læſo malè affecta ſit pars, quæ vſum præſtat. Verùm quoniam læſio partis ſubſeruientis, aut ſola eſt illius, aut redundat in partem affectam quam malè afficit vt quãdo à partibus oculi in criſtallinum humorem fertur vapor illi noxius, aut propter vuulam exceſam refrigeratur pulmo, vt licet colligere ex cap. 6 & 8. libr. de differentiis morborum. Præterea quia parte præcipua affecta ceſſant vſus ſine vlla partiũ in quibus ſunt læſione. Quo pacto ex vſu læſo poterimus partem in qua eſt affectio dignoſcere? ſi vſus lædatur illæſa parte principe actio impeditur, vt loquitur Gal. ca. 6. de differentiis morborum. Non poteſt autem facilè intelligi quando illud impedimentum aut læſio emanat, aut ex læſione præcipuæ partis, aut partis ſubſeruientis: quoniam læditur actio, aut læſa parte vſum edente, aut parte præcipua. Illa ratiocinatio vniuerſalis non ducit medicum in cognitionem partis peculiariter affectæ, quam quærit ad remedium applicãdum: neque etiamſi ſimul lædatur actio

cum

cum vſu;ex actionē lęſæ ſimpliciter non licet colligere partem læſam peculiarem ſed totam. Nam vſu læſo læditur actio, ſiue impeditur, & præcipua parte læſa læduntur vſus, aut ſaltem feriantur. Quænam verò pars ~~ſit læſa~~ particularis inquiratur oportet alio artificio, eo ſcilicet quo eſt vſus Galenus in perueſtigādis cauſis ſymptomatum, de quo in noſtro curſu medico fusè ſatis diſſeruimus. Et quia in tota parte reliqua diſputationis vſurpanda ſunt vocabula læſio, affectio, impedimentum, ſecundum doctrinam Galeni; ea ſunt nobis breuiter explicanda. Affectio eſt diſpoſitio partis (diſpoſitionem intelligimus ſecundum formam ex 5. Met. quæ, aut eſt ſecundum naturam, aut præter naturam) Ab ea partes ſanas, bene affectas, ægras & malè affectas dicimus: læſio autem eſt tantùm præter naturam, licet ab vſu quodam affectio in deteriorem partem ſolet accipi. Læſio eſt labefactatio eius quod erat ſecundùm naturam: affectio cadit in partem tantùm, non in actionem: actio namque eſſe ſubiectum affectionis non poteſt accidens quippe accidentis. Pars autem lædi

poteſt, quòd per affectionem præter naturam lædatur, & labefactetur eius conſtitutio naturalis, ergo iurè pars dicitur affecta, & læſa: actio verò tantùm læſa, vt & vſus. Actio læſa, ex Galeno libr. de ſymptomatum differentiis, & cauſis: tribus modis læſa dicitur, aut quòd imminuatur aut deprauetur, aut aboleatur, ita & vſus: rationi namque conſentaneum eſt, vt parte ſeruiente affecta, lædatur eius vſus. Iniicit autem dubitãdi occaſionem maximam modus loquendi apud Galenum, cap. 6. libr. 1. de differentiis morborum, dum ſcribit. Totius autem inſtrumenti operatio tum maximè, atque præcipuè læditur detrimentúmque patitur, cum pars illa ægrotauerit quæ operationis eſt cauſſa, ſed & aliarum immodici affectus impediũt operationem: quare actio læditur parte præcipua læſa, impeditur læſis ſubſeruientibus. Impedimentum eſt prohibitio operationis à partibus ſeruientibus manans, ſine vlla partis præcipuæ noxa. Impediuntur ſpiritus in neruorum obſtructione, non læduntur. Læſio verò eſt labefactatio naturalis diſpoſitionis partis & actionis ab ea

pro

proficiſcentis. Vſus itaque lęſus ſine offenſa præcipuæ partis impedit actionem. Verum propter illud impedimentum, actio etiam dicitur læſa. Exempli gratia ſi propter lęſum vſum imminuatur actio, ſecundum Galenum, dicitur læſa: Poſſumus ergo liberè profiteri, vſu læſio lædi actionem. Reprehendis quod verba mea ſint ſubiectum mutationi, tu ipſe reprehendendus in modo loquendi. Verùm aliud eſt mea proferre cenſa, aliud tua prodere, vt illis reſpondeam. In prima propoſitione meam detego ſententiã, in ſecunda tuam quam deinde falſam conuincam. Perſequeris, *non dantur morbi in vſu.* Quis vnquam hoc ſibi perſuaſit? Morbi dantur in partibus ſolum? Nullus vſus eſt pars? Reddis rationem *quia morbus lædit in parte id quod eius constitutionem abſolutam ſequitur, non reſpectiuum:* Probandũ erat hoc modo. Nullus morbus lædit in parte id quod eius conſtitutionẽ ſequitur reſpectiuam, ergo morbus non lædit vſum. Nego maiorem, morbus vt cõtrarius ſanitati afficit partem contraria diſpoſitione, à qua læditur actio, & vſus, nam quia actio & vſus ſunt in par-

tibus ſanis, in partibus ægris læduntur. Cæterum vſus (vt tuo more loquar) eſt reſpectiuus, vt & actio: vſus namque alicuius vſus eſt, & actio alicuius actio: in ſuperioribus enim es faſſus ex Galeno 1. de naturalib. facultatibus facultatem, actionem & opus eſſe in relatis: atqui per te morbus lædit actionem: ergo lædit reſpectiuum, & vtrunque per accidēs, nimirum actionem & vſum: contrarium enim agit per ſe in contrarium. Morbus & ſanitas ſunt contraria: ergo per ſe morbus agit in ſanitatem, nō in actionem, & vſum quæ ſequuntur ſanitatem.

Poſtquam argumentatus es, interpretaris animi tui ſententiam, hoc pacto. *Quod tamen*, inquis, *ita intelligendum eſt, vt ideo morbus non dicatur lædere vſum, quod ſolùm ipſum non lædat*: ergo lædat vſum cum alio, & per aliud, hoc non poteſt eſſe niſi propter actionem læſam, quod falſum eſt. Nam quando partes ſubſeruientes læduntur, offenditur actio, quòd vſus partis ſubſeruiētis læſus ſit, ſine quo exerceri actio non poteſt: tunc ergo actio læditur, quia vſus eſt læſus, actione verò læſa non eſt neceſſe

vſum

vſum offendi, vt quando præcipua pars afficitur illæſis ſubſeruiẽtibus, quarum vſus quieſcunt donec pars præcipua affectione contra naturam liberata illi obſequium præſtare poſſit: non ergo læditur vſus per accidens ad læſionem actionis, quòd integer poſſit manere læſa actione. Non enim dicuntur impediri quòd nihil poſſint præſtare partes ſubſeruientes ſiue præcipuæ, dicitur namque impediri id quod agit, deficientibus rebus neceſſariis ad agendum, res autem quæ vſum habent in defectu præcipuæ agentis quieſcere potius dicuntur, quàm impediri: ex quibus neceſſariò ſequitur, vt cùm ſemper actio lædatur in affectione præter naturam partium præcipuarum, aut ſubſeruientium, morbum definiendum per illud quod præcipuè ſequitur, & ſemper, eius in partibus præſentiam, nihilominus tamen vſus cum actione poteſt eſſe læſus; ſed minùs apparet vſus læſio.

Probo deinde per ſuppoſitionẽ, exemplo morbi corneæ in magnitudine vſum lædi: hanc ſuppoſitionem in doctrina Galeni niſi alia addantur, valde ſuſpectá eſſe

dicis,

dicis,in qua inſtrumentarij morbi de quorum numero eſt iſta magnitudo aucta,non pertinent ad ſimilarẽ partem,niſi per accidens. Certè ad ſimilarẽ, vt ſimilaris eſt non pertinet, ad quam intemperies tantùm & ſolutio continui ſpectãt:ſed ad ſimilarem, vt organica eſt. Omnis namque pars formata eſt organica, ad quam morbus magnitudinis non per accidens pertinet: ſed per ſe Venarum obſtructiones ſunt morbi organici,non tamen venæ ſunt partes diſſimilares. At Gal.cap.6.lib.1. methodi medendi corneam partem appellat, non inſtrumentum: quòd ſcilicet definierit inſtrumentum partem quæ perfecta edere actionem poteſt. Inſtrumentum dicitur aut ob actionem perfectam quam edit, vt vena,neruus,arteria:aut à figura & formatione quæ vſum præſtare poteſt,hoc pacto cornea inſtrumentaria, ſiue organica dici poteſt, & affici morbo inſtrumentali, qui primô & per ſe Corneæ dicitur, per aliud oculi totius. Quando verò ſcribis *nullum morbum organicum primò & per ſe afficere partem ſimilarem,ſed per accidens.* Cornea eſt pars ſimilaris formata & figura conſtans.

Simi

Similaritas conſiſtit in ſimili omnium particularum temperamento & mixtionis modo, præter quæ figura & efformatio ceratoidi tunicę ineſt, à qua organica dicitur. Hoc loco acutiſſimi argumenti non meminſti: verùm tanta & tam celebria poſſidenti fieri non poteſt quin aliquid excidat. Illud definitur ex cap. 8. Gal. lib. de differentiis morborum. Earum partium, inquit, læſiones quæ actionem immediatè offendunt ægritudines ſunt appellandæ: earum verò quæ ad vſum aliquem tendunt ægritudinum cauſæ: atqui ceratoides præſtat vſum ergo huius læſiones non erunt morbi proindéque non læditur vſus. Huic argumento ſatisfacere ex eiuſdem authoris doctrina facilè poſſumus, qui ca. 6. libr. de differentiis morborum ſcribit. Quæcunque partes non per ſe ipſas impediunt, ſed ea ratione qua primo operationis inſtrumento efficiunt, cauſæ morborum ſunt, non ipſæ morbi: ſed ſi in aliquo non lædentes primum operationis inſtrumentum ipſam operationem impediunt, iam tum eiuſmodi effectus, ægritudines ſunt appellandæ: atqui corneæ magnitudo

non lædit primum operationis ſiue actionis inſtrumentum, nihilominus impedit actionem: ergo corneæ magnitudo morbus iurè appellabitur. Morbus verò lædit partis naturalem diſpoſitionem, & ea quæ illam conſequuntur, vſus naturalem ceratoidis inſequitur diſpoſitionem: ergo morbus illius vſum lædit.

Vbi ergo cõcludo ex morbo partis vſum præbentis, læſionem vſus, tu mauis eiuſdem actionem lædi. Non promit actionem, quatenus eſt organica illa pars & efformata, ſed vſum tantùm: quocirca per morbũ qui in parte ſeruiente ineſt læditur vſus primariò, actio verò impeditur ſecũdariò per vſum læſum. Tu ratione permutata cenſes vſum lædi actione læſa, etiamſi pars vſum præſtans illæſa ſit. Non læditur quòd pars ſeruiens ſit affecta, nec quia à parte præcipua aliquod detrimentũ aliud per conſenſum deriuetur in ſubſeruientẽ, neque actio læſa impedit vſum, quemadmodum vſus lęſus actioni eſt impedimento: nãm præcipuæ partis facultas non ſeruit vſibus, ſed vſus illi facultati ſubſeruiũt. Impedimentum itaque in partibus, à ſub-
ſeruien

ſeruientibus pendet,non à præcipua.

Subnectis *cum morbus duas operationes non lædat per ſe primò, denique cùm mala diſpoſitio ſimilaris non poßit organicam lædere.* Non lædit vnus morbus corneę duas operationes,ſed vnum vſum per ſe,& primò,ſecundariò verò actionem:nec item illa magnitudo eſt partis ſimilaris,vt ſimilaris,ſed organicæ efformatæ. Iis quæ ſequuntur iam ſatisfactum eſt in ſuperioribus.

Reddo rationem quare vſu læſo actio lædatur quę phyſica eſt,quam etſi non legeris apud Galenum nihilominus veriſſima eſt. Totius efformati & inſtrumentarij vnus eſt finis, quæcunque enim à natura fiunt, finis alicuius gratia produci (cum ipſi nihil fruſtra faciat)vero verius eſt. Finis partis totius eſt actio, ad eam namque referuntur omnium particularium totius diſpoſitiones. Illa actio in partibus diſſimilaribus ab vna particula ſimilari ſola proficiſci non poteſt : plures ergo natura procreauit, inter quas ordo quidam ſeruatur dignitatis:vna illarum ex ſententia Galeni *2.* de cauſſis ſymptomatum eſt pręcipua, cui accepta potiſſimum actio referri debet:

aliæ illi ſeruiunt, nec poteſt exeri actio, ſi ſubſeruientes nō præſtiterint vſum: vt ergo diſpoſitio naturalis ſubſeruientium refertur ad vſum cuius gratia ita fuerunt affectæ & diſpoſitæ, ita eorum vſus referuntur ad actionem à præcipua parte præcipuè manantem: ergo plures ſunt fines in parte diſſimilari. Primus & præcipuus eſt actio: medij ſunt vſus, ſine quibus edi actio non poteſt. Excutiamus quæ adſcribis. *Sanitas*, inquis, *vel morbus non dicuntur eſſe alicuius partis ratione eiuſmodi finium, ſed duntaxat ratione bonæ, vel malæ conſtitutionis ſimilaris, aut instrumentariæ*. Hæc vera ſunt, nec hoc dico, ſed aſſero vſum referri ad actionem, vt medius finis ad vltimum. Sequitur ergo ad morbum corneæ lædi actionem oculi, quòd vltimus finis non poſſit acquiri ſine mediis.

Pronunciauimus partes ſeruientes in læſione ſola præcipuæ partis habere ſuos fines & vſus, ſine vlla læſione: nam ſi læderetur vſus partium, partes etiam lædi eſſet neceſſe. Tu contendis probare vſus offendi læſa parte præcipua, ex eo quòd legatur apud Galenum cap. 6. libr. de differentiis mor

morborum. Totius inſtrumenti operatio, tum maximè atque præcipuè detrimentum patietur, cũ pars illa ęgrotauerit quæ operationis eſt cauſſa. In toto integro, quod pars corporis inſtrumentaria diſſimilaris dicitur, actio attribuitur toti, nihilominus partes omnes totius integri cõcurrunt ad illam, nam vt totius eſſentia pendet non ab vna parte, ſed ab omnibus: ita operatio illius proficiſcitur ex omnibus ſimul aliquid actioni contribuentibus: atque ne in toto ſit confuſus partium cumulus, ſed ordine quodam actioni producendæ accommodatus, vna eſt præcipua, reliquæ ſubſeruientes. Actio attribuitur præcipuæ parti: imperatoris namque victoria dicitur, nihilominus hõmines ſubſeruientes concurrunt ad eam minus pręcipuè, vt duces, milites, & alia comparandę victoriæ vtilia. Primò ergo victoria Imperatoris dicetur ordine dignitatis & præcipuè, aliorum verò minus pręcipuè. In attributis autem eſſentialibus generum, & ſpecierum, quæ ſub illis in ordine Categoriæ ſeriè quadam diſponũtur, res alio modo ſe habet. Viuens namque exempli gratia, vni-

uerſaliter primò corpori animato conuenit, animali autem & plantæ eſſentialiter quidem & per ſe, non tamen primò vniuerſaliter. Differunt ergo præcipuè conuenire, & primò, & per ſe: illud namque in toto eſt dignitatis ordine, hoc autem attributionis. Fit verò plerunque, vt cui primò aliquid attribuitur dignitatis ordine cedat inferioribus, quibus propter ipſum primum conuenit, vt viuens animali. Actio, vt viſio dicitur totius oculi, criſtallini tamen humoris præcipuè, reliquarum minùs præcipuè. Non ergo quemadmodum eſt neceſſe ſi homo ſit corpus animatum, eſſe viuens, ita ſi pars præcipua ſit læſa lædi reliquas: nam morbus qui eſt in chriſtalino poteſt eſſe ſolitarius à quo partes reliquæ non læduntur, neque earum vſus. Galeni ſententia ab ea quam deſcribis aliena eſt. Totius, inquit, inſtrumenti operatio tum maximè, atque præcipuè detrimentum patietur, cùm pars illa ægrotauerit quæ operationis eſt cauſſa. Tu verò ſcribis, *quod ſi pars præcipua organi laboret fit morbus primò per ſe totius inſtrumenti.* Morbus eſt primò & per ſe illius quod primò

affici

affici dicitur & per ſe, atqui fateris primò & per ſe partem primariam eſſe affectam. ergò illius erit morbus primò & per ſe, & non totius quod aliis conſtat partibus prę-ter præcipuam. Vides quàm diuerſa ſit tua ſententia ab opinione Galeni.

Agis deinde in meam hanc propoſitionem ex eo quòd dixerim, morbo corneæ lædi vſum & actionem, hoc pacto. Si læſo vſu læditur actio, multò magis læſa actione lædetur vſus. Læditur vſus & actio, aut quia actio impeditur ob læſionem partis vſum habentis, aut quia pars præcipua eſt malè affecta, aut vtriſque læſis. Si ſit malè affecta pars ſubſeruiens, incolumi remanente præcipua huius effectus qui præcipuus eſt in actione edenda impeditur propriè, licet impropriè lædi dicatur, vt demonſtratum eſt. In offenſa verò partis prę-cipuæ, illæſis partibus quæ vſum præſtant, nec impediuntur vſus, nec læduntur: impediuntur enim illa propriè quæ agere dicuntur, cùm ab alio prohibentur agere. Lę-duntur quæ in ſe morbum habent. Vſus non impediuntur in illo affectu, quòd non ſint in motu, neque læduntur: ſuppoſui-

mus enim partes quibus eſt cōceſſus vſus carere omni labe morbi; cum verò non ſeruiant præcipuè agenti, feriari dicuntur: at ſunt in partib. nihil agentibus, ex Gal. de locis affectis, ergo ſemper feriantur. Galenus non ſcribit ſemper feriari ſed eſſe in partibus nihil agentibus, licèt ſint etiam in partibus agentibus ſeruiendo pręcipuæ parti.

Poterat obiici in noſtrum propoſitum, in morbo definiendo, Gal meminiſſe tantùm actionis non vſus, cuius tamen mentionem facere debebat, ſi vſus in definitione partis animatæ eſſet collocandus: nā ſi ſanitatem in parte inſtrumentaria ſequantur actio & vſus, neceſſariò morbi aduentu debet actio, & vſus violari. Duas itaque afferebā rationes, quare à Galeno in morbi deſcriptione prætermiſſus eſſet vſus, quarum prima eſt. Cum plures fines ſerie quadam ſunt diſpoſiti imperfectiores perfectioribus continentur: atqui actio eſt perfectior vſu: ergo eo contineri poteſt & in ea ſubintelligi, cum iam demonſtratum ſit nullam actionem membrorum exerceri poſſe ſine vſibus, qui ad eam referuntur.

Quo

Quocirca ſatis erat actionem in definitione morbi repoſuiſſe. Pari ratione dices in definitione partis animatæ nulla erat penitus facienda vſus mẽtio, cùm actione vſus includatur: ratio definiendi diſcrimen facit. In partis definitione vtimur methodo diuiſionis ſecundo modo deſcripta in ſuperioribus, & in libro 2. de Demonſtratione medica, in qua nulla differentia earum quæ cõueniunt definito omitti debet. Definitio verò ſanitatis, & morbi alio artificio collata fuit à Galeno, nimirum per communem notionem, vt iudicauit ipſe Gal. 2. cap. lib. de differentiis morborum: atqui actio omnibus perſpecta eſt, quippe motus actiuus, vſus doctis tantùm medicis: ergo iurè in definitione morbi & ſanitatis nulla vſus facta eſt mentio à Galeno. Deinde ſcribis, *ſecundam rationem admittere morbos in vſu*, quod mihi nunquam venit in mẽtem. Imponis legenti, in noſtris enim illa non continentur. Morbi in partibus vſum habentibus ineſſe poſſunt: nullus vſus pars eſt, nec accidens accidentis eſſe poteſt ſubiectum. In eadem reprehenſione vide quàm deprauatè referat locum ſcriptum 9. cap. 1. lib. methodi medendi: legi-

cur namque etiamſi millies corpus ſit alteratum, mutatúmque nullus tamen earum affectus adhuc morbus eſt. Quod enim curationem deſiderat, aliud planè non eſt quàm affectus qui vitiat actionem : atqui vſu læſo vitiatur actio : ergo vſu læſo affectio quæ illum lædit curanda.

Aſſero vſum in practica conſideratione, & Theorica eſſe collocandum in definitione partis animatæ. Redarguis, *quòd debeat cenſeri in numero ſignorum, non in definitione vniuerſali.* Quod facit ad cognitionẽ alicuius rei, licet ea ratione dicatur ſignum Galeno in libro definitionum, tamen nihil vetat illud reponi in definitione illius rei, non vt ſignum : ſed vt explicans naturam definiti propoſiti. Neq; adeò ſum ignarus vt exiſtimem vſum læſum, qui nos ducit in cognitionem partis affectæ in definitione partis viuentis ſanæ locũ ſibi vẽdicare, ſed intelligo vſum in ſanę partis definitione collocari debere, & vſum lęſum in deſcriptione partis lęſæ: pars enim lęſa eſt cuius actio, aut vſus lęſus eſt : locum ergo habebit vſus in definitione, & in ſignis: varia tamen ratione, vt enim ducit medicum in cognitionem eſſentię affectę partis, ſibi

arrogat

arrogat ſedem in definitione, vt verò in exercitatione medica ex illo ducimur in cognitionem eius vt ſanari debet, in ſignis cenſendus eſt vſus læſus. Diſtinguo ergo Pathologicam conſiderationem ab exercitatione practica, licet vtranque appellauerimus practicã, vt nimirum opponitur Phyſiologicæ contemplationi: neque lectorem iudicem toties compelles, cum (ſi bene ſentiat) ſit contra te iudicium lecturus, confirmaturúſque vſum locum habere in definitione partis animatæ ſiue viuentis.

De logicis quæſtionibus pauca & imperfectè à te tradita effecerunt, vt plura mihi ſupereſſent ad rei propoſitæ explicationem proferenda. Noſtra propoſitio eſt logicas quæſtiones à practica conſideratione eſſe reiiciẽdas: quæ vt perſpecta ſit omnibus, diſtinguẽdum accuratius quot modis dicantur ea quæ logica in Galeni doctrina habentur, & quid nomine praxeos intelligamus: logica Galeno cap. 7. libr. an ſanguis contineatur in arteriis, appellatur, diſciplina quæ in ſingulis rebus diſcernere nos docet, quid ex quibuſdam conceſſis inferatur, cuius neceſſitatem in progreſſu

ſui diſcurſus demonſtrat, cùm ſcribit neque Theophraſtum, nec Ariſtotelem eius præceptorem quidquam ſine hac diſciplina ſcripſiſſe. In hoc ſignificato intelligendus eſt Galenus quando libro de conſtitutione artis, inquit, logica carentes eſſe fugiendos, & capit.6 libr.de totius morbi temporibus. Artis ſermocinandi rudes (ait) ſæpe manifeſtè turpiſſimo caſu lapſi, tantùm abeſt vt verecundia afficiantur, vt etiamſi vincantur ſe tamen viciſſe exiſtiment (quod multis apprime eſt perpēdendum, quibus à natura tantus lepos eſt conceſſus, vt etiam ſuperati rideant.) Sumitur etiam à Galeno pro re quæ licet ad logicam artem non pertineat, tamen rei propoſitæ nō quadrat. Ita libro de totius morbi temporibus cap.3. vocat contemplationem de longitudinè vigoris & ſtatus morbi logicam, vt quæ nihil faciat ad propoſitum: pari modo ſi quis in conſilio habendo de intemperie calida iecoris, vellet longam texere diſputationem de ſpeciebus intemperiei, logica illa diceretur quæſtio, vt quæ ad rem nihil faciat: nihil namque tales quæſtiones ad artis opera cōducunt, vt loquitur Galenus cap.1.lib.1.de locis affectis.

fectis.

fectis. Nonnunquam denotat rationẽ quæ opponitur experientiæ: eo pacto cap.6.lib. 2. methodi medendi appellat logicam inuentionem eam quæ opponitur experimentali: & cap 6.lib.2. de locis affectis, inquit, in peruestigandis ſingulis morborum remediis diu apud me cogitaui, an logica indicatione indigerẽ, an ſufficerẽt ea præcepta quæ ab experiẽtia & à præceptorib⁹ atque ex me ipſo didiceram. Nõnunquam etiam ſumitur pro explicatione & conſideratione nominum, vt primo de locis affectis, & multis aliis in locis. In praxi verò conſiderantur methodi, & exercitationes de quibus ita Galenus cap.6.lib.9. methodi medendi. Pro comperto habere oportet non licere vllius artis ſcientiam adipiſci, niſi methodum quandam habueris per vniuerſalia theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris: cùm neque fieri poſſit vt ſine multiplici in ægris ſingulatim exercitatione, quod ex vſu ſit facias, nec ſine vniuerſalium cognitione, probe exercitatio procedat; quippe cùm in vniuerſalibus methodus in particularibus exercitatio conſiſtat. Et cap.6.lib.9. de Pla

citis Hip. & Plat. ſcribit vniuerſales methodos ſine exercitatione multa in ſingularibus artificem bonum efficere non poteſt. In omnibus quatenus diuiſione, definitione, & ratiocinatione eſt opus logicæ artificium eſt neceſſarium. Scribit enim Ariſtoteles cap.1.libr.1.de partibus animalium in omni contemplandi genere, omníque tum nobiliori tum ignobiliori docendi via & ratione duos eſſe habitus conſtat, quorum alterum ſcientiam rei appellaſſe, alterum quaſi peritiam quandam bene eſt. Peritia verò eſt facultas iudicandi perſpicienter quidnam rectè, aut non rectè ab eo qui docet exponatur: ſcientia verò eſt cognitio rei per cauſsã. Peritia illa eſt neceſſaria in omnibus partibus medicinæ & aliis omnibus doctrinis, vt lib. de demonſtratione medica fuſiùs explicauimus. Opponis in noſtram propoſitionem locum Galeni truncatum, qui reuera talis eſt. In methodo (inquit) perquirendas eſſe primas omnium curationũ iudicationes, quas vtique generaliſſimas appellare licet, tum quæ ex earum diuiſione naſcãtur, deinde rurſus quæ ex illis oriantur, donec ad

eas

eas quæ vltra ſectionẽ non admittunt perueneris, hanc enim omnis artis cõſtituendæ methodũ Plato nos docuit In hac ſententia nihil continetur niſi quod in perueſtigandis iudicationibus eſſe progrediendũ methodo diuiſiua, quã Plato inſtituit: cuiꝰ diuiſionis ratio petitur ex logica:proindeq; inferendum in methodis generalibus opus eſſe artificio logico;vt & in omni exercitatione. Verũ quoniam alia ſunt ſignificata rerum logicarũ,in exercitationibus nominũ contemplatio nullo modo eſt neceſſaria, neq; in mediũ proferenda quæ ad opus practicũ nullo modo ſpectãt:quales ſunt illæ quæſtiones quæ neque ad cognitionẽ affectuum prętęr naturam,neque ad prædictionẽ, vel ad curationẽ morborũ vllo modo cõferunt. His poſtremis modis pronũciauimus logicas quæſtiones à praxi eſſe ablegãdas nimirũ ab exercitationibus, quę verſantur in ſingulariũ morborum curatione.Sub finẽ huius reprehenſionis noſtrã hanc diſceptationẽ logicam appellas, vt quæ in nominũ explicatione verſetur:& nos Medicos eſſe ferè negas ſubdolè,quòd ſeria non tractemus.Libri Gal. de vſu par-

tium

tium te admonuiſſe debuerant quàm præſtans ſit & quàm neceſſaria Medico vſus partiū contemplatio, quæ nos manu ducit in creatoris ſummi cognitionē, & partium malè affectarū. Seria nos ſcripſiſſe poſſunt teſtari libri ab hinc 23. annis in lucē emiſſi Lutetiæ, à nobis, de principiis contra Paracelſiſtas: & de influentia cōtra iudiciarios Aſtrologos: & Romæ de demonſtratione medica: & nuperrimè Auenioni de Theriaca: & de methodo cognoſcendi, prædicendi & curandi morbos, & eorū ſymptomata ſiue accidentia. In nullius verba magiſtri iuramus. Autoritate virorū illuſtrium in mediū attulimus quò nos in ea opinione ſolos eſſe nemo arbitraretur. Conſtātia & firmitas propoſiti animi ingenui indiciū cenſetur; ignorantia verò (inquit Hipp. lib. de lege) malus eſt theſaurus, & infelix opulentia his qui eam poſſident: tum opinione ipſa, tum reuera, alacritatis & ſecuritatis animi expers, audaciæ, & impudentiæ nutrix. Contentio autem litteraria inter viros modeſtos ſuſcitata non meretur odium, vt ex qua veritas emergat, & effulgeſcat magis.

AD SECVNDAM PARTEM diſputationis reſcriptæ à D. Serpillono.

Caput I.

VErtitur in controuerſiam apud Medicos, vtrum actio ſit eſſentialis parti viuenti: quam quæſtionem logicam appellas; certè logica eſt, quòd tota ſit rationalis, & licet conſideretur purè logica, Galenus nunquam renuit inire certamen contra logicæ ignaros. Aures adhibe pulcherrimæ ſententiæ Galeni, quæ ſcribitur cap. 5. libr. 1. de Temperam. Qui naturalem (inquit) contemplationem aggreditur, priuſquam rationem qua hæc inueniat cõuenienter exercuerit (logicam intelligens) neceſſe eſt eum in ſophiſmata incidere, ac de euidẽtibus cum iis qui ſenſu carent, diſputare. Decet Medicum logicè loqui, vt ſpeciem loco indiuidui nõ ponat, ſubſtantiam accidentis. Quare erras in logicis cùm accidentale quippiam eſſentiale vocas: ſed Aquila non captat mu-

ſcas: verùm qui minora negligit in maioribus erubeſcit. In perquiſitione &explicatione actionis quemadmodũ in aliis omnibus, vereor ne Grammaticis & Philoſophis maximo faſtidio ſis futurus. Grammatica ſilentio prætereo: mihi tamen ita imperare non poſſum, quin prorumpam ſubinde in aliquam errorum correctionẽ. Inquis, *actionis formam eſſe motum*. In doctrina logicorum genus ſubit locum materiæ, differentia formæ: atqui motus eſt genus actionis, actiuus verò differentia qua ſeparatur à paſſiuo. Minùs propria eſt locutio cùm ſcribis. *Dicitur actiuus ceu effectiuus. aut agentis*, id eſt, *qui à ſe editur*. Si actiuus motus à ſe editur, motus eſt cauſſa motus, & effectus erit cauſſa: ſi intelligas agens moueri à ſe, non es bonus Metaphyſicus, vti enim res ſe habet ad eſſe, ita ad operari (vt more Philoſophorum loquar) nam ab eſſentia potiſſimùm pendet operatio: at nulla res præter Deum eſt à ſe: ergo nulla res à ſe operatur, per ſe quidem poteſt dici, & ex ſe, & propria natura (vt loquitur Galenus 6, cap. lib. 1. methodi medendi) nimirum ex principiis ĩternis, vel per principia interna.

Paulò

Paulò poſt ſubiungis *agens quod mouetur in actione*. Si agens mouetur erit mobile ad terminum, quod negauimus: nam licet actio tendat ad terminum acquirendum mobili, non mouetur tamen agẽs ad eum, idcirco nõ dicitur mobile ea ratione: quare licet actio dicatur motus, non poteſt tamen dici agẽs moueri cum agit, ſed agere. Si enim moueretur, qua ratione mouet, eſſet eodem reſpectu ſimul agens & patiens. Neque de motu metaphorico intelligas quę dicũtur ab obiecto moueri facultates, hoc enim loco de vero motu agimus. Hoc contingit ex modo denominationis, nam motus eſt denominatiuum cum mouente & moto, diuerſa ratione. Quando dicis *agẽs moueri in actione*, neſcio quid intelligas; moueri enim in aliquo eſt moueri in ſpatio ſiue loco, ex cap.3.lib.1. Ariſt. de anima in confutatione opinionis Platonicæ de animæ motu: actio verò non eſt ſpatium, nec locus agentis in quo agit: ſed effectus illius. Quare impropria eſt locutio, nec Philoſophum redolet.

Nemini dubium eſt in medicina partes corporis eſſe organa, facultates verò præ-

cipuas cauſſas efficientes cõtra tuam ſententiam. Cæterùm Galenus motum triplicem non conſtituit cap. 6. libr. 1. methodi medendi, eo enim in loco, vt etiam 3. cap. lib. 2. methodi medendi duplicem tantùm recenſet, localem ſcilicet & alterationem, Tibi erat dicendum cap. 2. lib. 1. de naturalibus facultatibus, in quo triplicem conſtituit duos ſimplices, vnum compoſitum. *Facultates* (inquis) *ſunt veræ actionum effectrices*. Ex quo interim colligimus vitam vt opinaris non eſſe cauſſam actionum: *cumq́;* ais *per totam animam ſint diſperſæ adeo determinantur & reſtringuntur per organorum temperiem, vel compoſitionem, vt non niſi in propriis partibus reperiantur*. Aduerte quo pacto hæc poſſint conciliari cum iis quæ in prima parte exaraſti, nimirum *animam circunſcribere partes*; Ais namque *quod circunſcriptionem habet propriam id eſt ab anima*. Verùm quod circumſcribit aliquid, ab eo quod circumſcribitur reſtringi & determinari non poteſt: eſſet namque & circumſcribens & circumſcriptum, quod fieri nequit. Oſtendamus animam à partium temperie non reſtringi vel determinari.

Incor

Incorporeum à corporeo præfiniri (cùm terminis careat) dici non poteſt: ſi quando autem dicatur à Philoſophis anima finita, finitum non ſignificat limitibus circumſcriptum, ſed negat facultatem agendi infinitam. Determinaretur aliqua facultas animæ, ſi poſſet agere cũ multis aliis partibus, dum ſcilicet vteretur aliqua peculiari: miles enim cum poſſit vti enſe, arcu, catapulta, & haſta, à ſuo duce determinatur ad haſtam, exempli gratia, vel ad aliud armorum genus: at anima in corpore dicitur tantùm videre per oculum, audire per aurem: non quòd vaga illius poteſtas reſtringatur ad videndum ipſo oculo, ſed quia non poſſit videre niſi cum oculo. Dices id ſine quo aliquid peragi non poteſt, reſtringere illud quod cum eo agit. Non reſtringit, ſed ſeruit & obſequitur: quin potiùs reſtringitur ad obſequium formę, quàm forma ad vtendum parte. Credo te obliuioni non tradidiſſe ea quæ in prima parte demonſtrauimus de efficiente cauſſa, quæ propter finem accommodat & diſponit temperiem & compoſitionem corporis: ergo determinatio temperiei & compoſi-

tionis à fine eſt, nulla autem determinatio facultatum animæ à temperie & compoſitione partium.

Ad finem cap. 1. huius partis poſt longam diuiſionem actionum quæ Phyſica eſt ad operis tui incremẽtum, non Medica ad neceſſitatem demonſtrationum, deſcendis tandem ad diuiſionem generalem Medicam actionum, *vt omnis actio ſit aut inſtrumentalis aut ſimilaris*. In qua diuiſione habes aduerſarium doctiſſimum Eraſtum, qui parte 4. diſputationum cõtra Paracelſum diuidit actiones in ſimilares, inſtrumentarias, & medias: cuius ego opinioni libenter aſſentior. Sed de his aliàs.

Pergis? inquiens, *illæ fiunt in partibus ſimilaribus ob determinatam mixtionem elementorum*. Reuerteris ad illam determinationem facultatum à temperie & conformatione quæ iam confutata eſt: deinde fateris inſtrumentarias actiones fieri ob determinatam mixtionẽ ſimilarium. Anguillæ ritu cùm non vis capi turbas aquã, cœnóque admiſces vrinando, vel ſepiæ modo nigro ſucco tingis aquas. Illa particula (*ob determinatam mixtionem ſimilarium*) eſt

eſt æquiuoca;nam aut ſignificat inſtrumẽtarias actiones pendere à ſimilarim determinata mixtione, aut inſtrumentarias partes fieri ex mixtione ſimilarium à quibus naſcatur actio. Primum ſignificatum falſum eſt,nulla enim actio inſtrumentaria quà talis eſt pendet à ſimilari:nam, per te, vt ſimilaris diſpoſitio & organica toto genere differunt, ita ſimilares & organicæ actiones. Secundum ſignificatum errore plenum eſt, compoſitio enim nullo modo poteſt dici mixtio: ſiquidem quæ miſcentur fiunt vnum forma & continuitate,quę componũtur contactu tantùm. Paulò poſt à veritate compulſus mutas loquendi modum:verum nulla interpoſita mora rurſus laberis, cum dicis: *tamen quoniam organicæ ex partibus ſimilaribus componuntur vt fiat numerus qui inſtrumenti rationem conſtituit.* Rationem conſtituere alicuius rei,meo iudicio, nihil aliud eſt quàm eſſentiam eiuſdem perficere, ratio enim pro forma & eſſentia capitur:atqui præter numerum in partibus organicis, Gal.lib.de differentijs morborũ, adiungit ſitum figuram & quãtitatem.Et cap.5. lib. 1. de ſanitate tuenda, ait,

ait, ſimilarium eucratiam, inſtrumentaliũ formam, ſitum, numerũ, magnitudinem, functionum eſſe cauſſam. Pręterea tibi erat diligenter indagandum in quo verſaretur ratio partis inſtrumentariæ, idque reſolutoria methodo ſecundùm doctrinam Ariſtotelis: de qua egimus lib. 2. de demõſtratione medica. Dicamus ergo ratum eſſe apud Galenum cap. 6. lib. 1. methodi medendi, in numero partium inſtrumẽtalium locum obtinere oculos, linguam, quæ diſſimilares ſunt: præterea arteriam, venam, & neruum quæ ſimilares exiſtunt; quibus quid ſit commune inueſtigandum. Ex ipſomet Galeno eodem loco vtriſque cõmune eſt, vt perfectam edant actionem: quare in perfectione actionis ratio inſtrumentariæ partis eſt ſita, non in numero: ad quam tamen actionem neceſſaria ſunt numerus certus partium ſimilarium, quantitas earundem, figura & ſitus quæ referuntur ad illam actionem perfectam: omnis enim diſpoſitio cuiuſuis inſtrumenti ad actionem refertur, ex vltimo cap. li. 2. Phyſices Ariſtotelis. Oppones nutritionẽ eſſe actionem perfectam quæ támen editur à parte

parte ſimilari. Verum eſt: ſed perfecta actio dicitur duobus modis, aut perfecta duntaxat in parte tota inſtrumentali, quòd omnes illius partes concurrant in actionem vnam perfectam, vt omnes partes oculi ad videndũ: aut quia in quauis particula formali tota exerceri poteſt. Hoc poſtremo modo ſimilares dicuntur perfectæ: primo verò inſtrumentales. Inſtrumentariæ ergo partis in hoc conſiſtit ratio, vt omnes illius partes ex quibus componitur, concurrant ad vnam perfectam actionem producendam, ita vt à ſingulis particulis eadẽ actio non poſſit proficiſci: ſimilares autem edũt actionem quæ à ſingulis earum particulis formalibus poteſt emanare.

Vide quàm appoſitè deinde ſcribas, *hinc eſt quod inſtrumentum ſimilares deinde exerceat operationes quæ naturales ſeu vitæ dicuntur, ſcilicet in ſuis cõponentibus ſimilaribus adeò vt hæc ſimilarium ſint partium per ſe, organicarum per ſimilares quibus utriſque ita conueniunt, vt in ſingulis, vel minimis organi partibus integræ & perfectæ abſoluantur.* Inſtrumentum nõ exercet ſimilares operationes in ſuis partibus ſimilaribus, ſed contra ſi-

milares exercent in inſtrumentis, ſiue diſſimilaribus partibus. Non enim oculus eſt in ſimilaribus partibus: ſed ſimilares partes ſunt in oculo; aſſerunt namque metaphyſici totum eſſe ſuas partes ſimul iunctás; nec totũ eſſe in partibus. Quod enim eſt in alio (vt Ariſtoteles ſubindicauit, in anteprædicamentis) aut eſt in ſubiecto, aut tanquam pars eius in quo eſſe dicitur: totum autem diſſimilare non eſt in partibus ſimilaribus, vt in ſubiecto, quia accidens non eſt, neque vt pars, quod ſit totum: ergo cùm non ſit in partibus non poteſt dici exercere operationes ſimilares in partibus ſimilaribus, in quibus nullo modo eſſe dicitur. Si oculus dicatur viuere, id intelligitur per partes ſimilares quod demonſtrat, ſententia Galeni à te in medium adducta ex cap. 3. libr. 2. de naturalibus facultatibus.

Ad Caput II.

IN limine huius capitis diſputationem noſtram de nominibus eſſe ſubindicas, nempè dum quærimus

mus vtrum actio partis corporis viuentis aut animati ſit eſſentialis ipſi parti. Quod ſi verum exiſtat, minùs quã logici ſumus, quippè logodædali. Illa tua congeries ſententiarum nihil aliud probat, quàm actionem per ſe conuenire parti, & proficiſci ab eſſentia illius: quare non magis erit eſſentialis parti, quàm riſibilitas homini. Vt te hac difficultate logica (vt cenſes) poſſis extricare, multas ſuppoſitiones cõſtruis, quò orationis prolixitate veritatẽ obtenebres. Verùm ipſa lucet per ſe, nec ſe facilè patitur obrui caliginoſis ſophiſmatum nubibus, quæ tamen, non erant neceſſariæ ad illud cõfirmandum quod propoſitum erat. Interim ne videar laborem, & faſtidium ſubterfugere, aliquot illarum examinabimus.

Prima tua diuiſio actionum eſt in primariam & ſecundariam, quæ debet ſumi ex relatione prioris & poſterioris, nihil enim poteſt dici ſecundarium quod ad aliquid prius non referatur: atqui non diſtinguis illas, aliquo modo prioris deſcripto ab Ariſtotele in poſtprædicamẽtis; ſed per has particulas, propter ſe, & per aliud: quod

propter ſe eſt, abſolutum dicitur, quod eſt propter aliud, comparatum ab omnibus appellatur. Diuidas ergo in abſolutas & comparatas: non in primarias & ſecundarias oportet.

Secundò diuidis actiones, in eas quæ vitæ exiſtunt ſimpliciter, & quæ vitæ ſunt commodioris: quæ diuiſio ex modo non differt à ſuperiori. Eam citas ex cap. 1. lib. 4. de vſu partium, in quo non continetur: agitur enim tantum eo capit. de ductibus ipſius corporis, quorū alios Galenus comparat viis publicis, alios angi portui.

In diſtinctionibus ſignificationum vitæ inter omnes vna mihi ſuſpecta eſt, quæ tuo inſtituto maximè fauere videtur. Quando nimirum ſcribis, *vitam ſumi pro ipſo principio actionum, pro actu primo corporis, ſeu pro anima; dicitúrque vita ſubſtantialis, ad differentiam accidentalis.* Si vita ſit anima: hæc Ariſtoteli 1. cap. lib. 2. de anima dicitur actus corporis organici poteſtate vitam habentis. Cum eadem ſit vita illa ſubſtantialis cum anima: mirum eſt cur Ariſtoteles non definierit animam actum corporis organici poteſta-

te

te animam habẽtis, vt poteſtate vitam habentis: vnde ſequitur, cùm id non præſtiterit corpus organicum habere vitam poteſtate, & non animam poteſtate. Ratio meo iudicio eſt quòd cùm anima ſit actus corporis organici illud deducit in actum, & actu animam habet. Quod actu aliquid habet non poteſt dici habere illud potentia, cum ſint contraria: vnde ſequitur, cùm corpus organicum dicatur habere vitam potentia, vitam non eſſe animam, ſed pendere ab anima, à qua profluens in corpus dicitur corpus eam habere potentia: quocirca vita non poteſt eſſe anima. Obiiciunt multi propoſitionem illam Ariſtotelis deſcriptam cap. 4. libr. 2. de anima, viuere viuentibus eſt eſſe: vnde colligunt vitam eſſe eſſentiam, & formam. Quocirca vita erit forma corporis viuentis, quæ anima eſt. Reſpondemus, eſſe, eo loco non ſignificare eſſentiam, ſed modum eſſentiæ, Ariſt. enim dixiſſet ſi voluiſſet ſignificare eſſentiam: animatis: animatum eſſe, eſt eſſe. quòd anima ſit eſſentia & forma corporis animati: ſed exempli gratia poſuit modum eſſentiæ pro eſſentia, quod ille modus ſit nobis

magis cognitus. Animatum enim aliquid eſſe cognoſcitur à nobis per vitam tanquam à poſteriori : & idcirco Ariſtoteles cap.2. lib.2. de anima ſcribit animatum ab inanimato diſtingui vitâ. Vita dici poteſt anima humana quadam ratione, propter intellectum, ſed hoc attribuere omni vitæ animantium non eſt veritati conſonum. Nam ex eo quod vita hominis ſit anima, probat D.Bernardus cap.81. Comment. in Cantica Cãticorum animam rationalem eſſe immortalem, his verbis: vita anima eſt (intelligẽdo de anima rationali) viuẽs quidem, ſed ſeipſa & per hoc non tam viuens quàm vita vt propriè de ea loquamur. Inde eſt quòd infuſa corpori viuificat illud, vt ſit corpus de vitæ pręſentia, non vita ſed viuens, in hoc autẽ gerit anima ſimilitudinem quandam cum Deo, quòd non ſolum eſt vita, ſed etiam viuificãs; ſequitur etiam vt ſit immortalis, quoniam cùm ipſa vita ſit, ſicut non eſt quo cadat à ſe: ſic non eſt, quo cadat à vita, inde ſequitur vt ſi omnis vita ſit anima omnis anima immortalitate fruatur, quod eſt abſurdiſſimum. Addis deinde. *Illa corpus dicitur viuens, vt ea viuere*

dican

dicantur quæ beneficio illius principij mouent ſeipſa ſecundùm aliquam ſpeciem motus propriè ſiue impropriè dicti, vt notat Iãdunus. Ariſtoteles cap. 2. libr. 2. de anima non ſcribit illa eſſe viuentia, quæ mouẽt ſeipſa ſecundùm aliquam ſpeciem motus, ſed quæ ſeſe mouent in contraria loca. Ait enim omnia ea quæ gignuntur è terra viuunt, quandoquidem conſtat in eis vim eſſe ad principium huiuſmodi quo acceſſionem deceſſionémque capiunt in loca contraria; neque enim ſurſum tantùm augeſcunt, non etiam deorſum, ſed vtraque ex parte & vndique. Quæ ſanè aluntur, viuunt vſquè ad finem, dum alimentum capere poſſunt: quare ea quæ vitam habent, non tantum mouent ſeipſa ſecũdum aliquam ſpeciem motus, ſed motibus contrariis quo differãt à rebus naturalibus, quæ mouentur vno motu ab intrinſeco principio.

Diſtinguis vitam in ſubſtantialem & accidentariam; nulla eſt vita accidentaria: tibi namque dicitur accidentaria, comparatione facta cum ſubſtantiali: cùm autem in omni animato corpore non ſit vita ſubſtantialis; (vt iam probatum eſt) nulla erit

acci

accidentaria vita : neque certè eo modo appellari poteſt. Accidentarium enim dicitur, quod non proficiſcitur à principiis eſſentialibus. Vita promanat à principio interno eſſentiæ corporis animati : ergo nulla vita accidentaria erit; hanc appellas quæ cõſiſtit in operationibus, vel ipſaſmet operationes: quod ſi verum, ſit vitæ nomen in definitione animæ poſitum ſignificaret operationem, nõ enim corpus organicum poteſtate habet animam, cùm eius actus ſit, & actus ſit actu in eo cuius actus eſt, atque ideo ſecũdùm tuam opinionem ſatius eſſet multo & faciliùs definire, animam actum primũ corporis organici poteſtate actionem habentis, præſertim cùm tota diſpoſitio corporis illius ab efficiente ſit fabricata, propter finem quæ operatio eſt. Cùm verò non dicat Ariſt. corpus organicum poteſtate operationem habere, ſed vitam: operæpretium eſt contemplari, ex principiis eſſentiæ corporum naturalium compoſitorum duo per ſe profluere, ex doctrina Philoſophorum, operationem nimirum & proprietatem vt ex animali, & rationali emanant intellectio, & riſibilitas.

Ex

Ex connexione animæ cum corpore organico naſcitur operatio, & vita quæ proprietas eſt corporis organici animati. Actio facultatem agnoſcit antecedentem, vita nullo medio interiecto, pendet ex copulatione animæ cum corpore organico. Corpus animatum ſemper dicitur viuens; quæ cauſſa eſt vt Ariſtoteles vſurpet ſæpè vnum pro alio. Corpus autem agens non dicitur viuens ſemper, magnes enim agit, tamen non viuit: quare cum corpora inanimata dicantur agere, & non viuere, quo Ariſtoteles ſepararet corpus organicum animatum, ab inanimato agente dixit poteſtate vitam habens, differentiam ſumens à proprietate, non ab actione, ergo in definitione animæ nomine vitæ non intelligitur operatio, ſed proprietas corporis animati.

Silentio præter eo duas primas concluſiones, quibus ad rem propoſitam nō egemus. Venio ad tertiam, in qua inquis, operationes vitæ ſimpliciter ſunt eſſentiales eſſe medico partis viuentis, vt viuit. Operationes verò vitæ ſimpliciter appellaſti omnes ſimilares. Tota difficultas conſiſtit

in eſſe Medico. Elegantius & ęquè propriè diceretur modo medico, conſideratione medica: ſed nō videreris Philoſophus, niſi librum tuum his nominibus & verbis cōſperſiſſes. Subiungis *hoc eſſe partis medicum eſt accidentarium ipſi parti ſcilicet ſanabile, quare de eius eſſentia poteſt eſſe aliud accidens ipſi intrinſecum.* Eſſe medicum tibi eſt eſſe ſanabile: partis ergo eſſe, contemplatione medica, eſt vt ſit ſanabilis & hoc illi accidentarium, eſt namque extra partis eſſentiam: partis namque ſimilaris eſſentia tota ſita eſt in eodem mixtionis modo & eadem omnium particularum temperiè, quibus accidit ſanabile eſſe. Hinc deducis aliud accidens illi intrinſecum poſſe eſſe de illius eſſentia. Non video concluſionis neceſſitatem, & rem magnam certè facis ſi teipſum intelligis. Senſus tuus ni fallor hic debet eſſe. De eſſentia accidentarij alicuius, vt partis ſanabilis poteſt eſſe aliud accidens intrinſecum. Si ſit de eſſentia & intrinſecum, vt tu loqueris, non poteſt eſſe illud accidens ea ratione: nam accidens eſſe & de eſſentia eſse ſunt contraria ſi namque actio partis viuentis medica con-

templatione eſt de eſsentia illius partis, nullo modo erit accidens, ne in eſse quidem m edico: cùm autem ſit accidens, licet intrinſecum non poteſt eſse de eſſentia Quare actio partis etiam viuentis non eſt de eſſentia partis. Vt tuum inſtitutum demonſtres multum laboris ſumis, probando partes corporis alio modo à Medico, quàm ab aliis artificibus Phyſico & Metaphyſico conſiderari. Hæc nota ſunt lipis & tonſoribus. Sed probandum erat accidens intrinſecum eſſe de eſſentia eſſe accidentarij partis, quod non præſtas. Deinde citatis multis locis quibus non erat opus ad rem confirmandam ab omnibus conceſſam, ſcribis: *hinc colligatur partis eſſe Medico, actionem eſſe eſſentialem, quamuis eius eſſentia Phyſicè ſit accidentalis.* Perpendamus vnde illud colligis: Facilè mihi perſuadeo & ex his quæ iam enarraſti patet, ex formalitate obiecti à qua petuntur ſcientiarum diſtinctiones quæ ipſi in ratione ſanabilis poſita eſt: quare actio erit eſſentialis parti in eſse medico, quia ſanabilis: nam illa eſt formalitas obiecti. Actio ſanabilis partis eſt ſemper motus actiuus ipſius par-

tis ſanabilis, atqui motus actiuus partis eſt ſemper accidentarius parti, poteſt enim eſse ſanabilis pars & nõ agere, vt per quietem, aut per impedimentum actionis à diſpoſitione præter naturam actionem aliquo tempore auferente. Ergo actio etiam viuentis in eſse medico, erit eccidentaria parti viuenti, vnde corruit tua opinio.

Quarta tua concluſio eſt, *operationes vitæ commodioris, ſeu ſecundariæ eßentiales eſſe medico partis dißimilaris:* Eam confirmas authoritate Galeni quæ ſcribitur capit. 8. lib. 1 de Placitis Hip. & Plat. Si de oculi eſſentia inquit interrogemur inſtrumentum eum eſse viſiuum reſpondebimus. Veriſſima eſt illius ſententia: eſsentialis nãmque eſt hæc definitio oculi conſtans ſuo genere, & differentia petita à facultate; Non tamen inde colligitur actionem oculi (viſionẽ ſcilicet) eſſe eſſentialem oculo, modo medico conſiderato. Facultas quidem dicetur in hac definitione eſſentialis, actio verò accidẽtalis. Neque Galenus toto ca. pronunciauit actionem eſſe eſſentialem, & licet tota partium corporis humani dignotio referatur ad actionem cognoſcendam,

dam, inde tamen non ſequitur actionem partis eſſe eſſentialem. Medici omne ſtudium verſatur in dignoſcendis partibus, & actionibus ad curandum: ergo curatio eſt eſſentialis partibus & actionibus. Ridiculoſum. Cæterũ totum hoc caput formalitatibus medicinalibus, & obſcuriſſimis nominibus compleuiſti, præſertim cum ſcribis *temperiem bonam, & compoſitionem perfectam quæ eſſentialiter in actu primo ſanitatem conſtituunt, futuras chimeras, & entia rationis: niſi ad actiones compararentur.* Hæc verba terrent illos qui nunquam in medicorum doctrina talia audiuerunt, ſed tu qui omnes ſuperas excellentia ingenij, debes aliorum loquendi modum negligere, tuiſque peculiaribus phraſibus vti. Putabam ego antequam hæc legiſſem animam in corpore eſſe actum primũ ſolum, ſed alios poſt hac te monſtrante agnoſcam, actum ſcilicet primum temperiei & compoſitionis, qui ſanitatem conſtituunt. Sanitas eſt diſpoſitio ſecundum naturam actionẽ perficiens. Quæ definitio ſanitatis eſt perfecta, nulla tamen in ea fit mẽtio temperiei, aut compoſitionis: at quod eſſentialiter & in actu

primo conſtituit aliquid, illud in explicatione eſſentiæ reponendum eſſe nemo inficias ibit. Chymæras deſtruere volens, chymæras pingis. Hęc Grammaticulis pauorem incuterent, nobis lorica fortior eſt, quàm vt nos offendant. Putas nos vacuos eſſe formalitatibus. Legimus alias cùm vacaret formalitates Sirectir, Trombetæ, Bruliferi eximiorum Theologorum: percurrimus libros Ochã, & ſectæ nominalium operam dedimus. Crede mihi tecum melius ageretur ſi formalitatem conſiderares Zurembet, & vndecim oſſium maxillæ ſuperioris cranij humani. Illa efficerent vt formaliter exercitatiſſimi noſtri Pharmacopolæ, & periti Chirurgi intelligerent te verſatum eſſe in Pharmacia, & Anathomia quæ ſunt grãdia & firma fundamenta noſtræ artis medicæ. Cætera ſunt cumuli, non perfectionis: quare ad tuas reprehenſiones me conuerto.

Reſpon

Reſpondetur ad reprehenſiones in noſtram Epiſtolam à D. Serpillono ſcriptas.

IN ſuperioribus probaui nulla conſideratione actionem eſſe eſſentialem parti: quis autem tibi vnquam conceſſit vſum pro aptitudine acceptũ habere locum in definitione partis viuentis? Neque vnquam negaui poſſe eſſe continuam nutritionem. Admiraris quæ nõ intelligis, ac malè legis. Hęc ſunt mea verba. Nutritio nõ eſt eſſentialis, ne parti quidem viuenti: nam licet omnis pars corporis viuens nutriri dicatur, eius tamen eſsentia non pendet à nutritione. Vita hominis ex Hip. eſt ſeptem dierum, quare non pendet eſsentia partis à nutritione, ſed exiſtentiæ illius continuatio; quod perinde eſt ac ſi diceremus, is qui non nutritur periturus eſt, ſi nutriatur eius vita protenditur: ſed intellige, eſſentiam partis viuentis pendere ex eius materia & forma.

Aga

Agamus paucis de Paraliticarum partium vita. Ita ego argumētor. Si actio pendet à vita, paralitici membra maximè muſculi debēt agere, fateri namque membra paralitici non viuere eſt concedere illa mortua eſſe: nam inter viuum, & mortuum nihil intercedit: priuantia namque contraria exiſtunt: at muſculi paraliticorum viuunt, & tamen non mouent, ergo actio muſculi non pendet à vita, ſed à facultate motrices qua muſculi paralitici priuātur. Reſpondes *viuere mēbra paralitici ſecundum vitam ſimpliciter quam habent, non viuere ſecundum commodiorem vitam motum, & ſenſum, quos non habent*. Verùm cum actio per tuam quartam concluſionem ſit eſſentialis parti diſſimilari modo medico conſideratæ, modus autem ille medicus eſt, vt pars ſit ſanabilis: atqui cum res eſt actu ſanabilis magis eſt ſanabilis, quàm cum potentiā talis dicitur: membra paralitici actu ſunt ſanabilia quod morbo affligantur, & non potentia ſanabilia, vt membra ſanorū quæ nullo morbo vexantur, ergo membra paralitici magis participant illud eſſe medicum, quod cum perfectius ſit perfe-

ctionem

ctionem debet procreare actionem, cùm actio ſit illi eſſentialis: vnde ſequitur, vt membra paralitici magis agãt quàm illius qui caret paralyſi, quod eſt abſurdiſſimum. Fatendum ergo tibi eſt muſculos paralitici viuere, non tamen mouere, non defectu vitæ, ſed facultatis motricis, à qua proficiſcitur membri motio: erratum ergo eſt in aſſignando vniuerſali primo, vt poteris facilè dignoſcere ex his quę explicabimus in lib. de demonſtratione medica.

Quid veriùs dici poteſt quàm partes corporis viuentis à vita obtinere, vt ſint partes viuentes? nam à vita viuentes dicuntur; mirum te nolle concipere quæ veriſſima ſunt. Pars habet vt ſit pars, ex eo quod eſt alicuius totius, & viuens dicitur quia eſt corporis viuentis, agitque non quia viuit, ſed quia facultate agendi prædita eſt. Sæpè iam faſſus es, ex Galeno 1. de facultatibus naturalibus, facultatẽ, actionem, & opus eſſe relata. Quare pars dicitur agere quia facultatem agendi poſſidet: quocirca licet omne animatum viuat, & omne viuens ſit animatum: vt omnis homo eſt riſibilis & omne riſibile homo, ta-

men ratiocinatio non manat à riſibilitate, ſed ab anima ratiocinandi poteſtate prædita: ob id in illa aſſumptione cùm ſcribis, *ſed eſſe viuens eſt habere principium operationum vitæ*, verum eſt, non quatenus viuit, ſed quatenus habet facultatem agendi: ita vt anima fundat ex ſe vitam in corpus organicum, tanquam proprietatem inſeparabilem, & facultates à quibus primò & per ſe actio emanat. Nec reprehendas noſtrum loquendi modum: ſed aduerte quid ſequatur ex tua propoſitione quando ſcribis, *cùm vita hoc loco ſit ipſum principium*, non potes intelligere aliud quàm animam eſſe vitam ſubſtantialem (vt loqueris) ex quo neceſſariò, aut laberis in errorem metempſychoſæos Pytagoræ, aut animas brutorum conſtituis immortales, vt ex D. Bernardo probauimus.

Sophiſticum eſt hoc tuum argumentum. Actio pendet ab eſſentia partis: actio proficiſcitur à facultate: ergo facultas eſt eſſentia. Actio pendet immediatè à facultate, mediatè ab eſſentia: quam ob cauſſam non eſt neceſſarium facultatem eſſe eſſentiam. Hoc loco poſſet agitari vulgata illa

ta illa

ta illa quæſtio. An animæ facultates diſtinguantur ab ipſa anima: verùm quia ſunt plures facultates, & vna anima, tum quòd quædam dicantur actiuæ, quædam paſſiuæ quodam modo; idcirco ſemper fui in ea ſententia diſtingui animam à ſuis facultatibus.

Deinde ita argumentaris. Vita eſt vnio animæ cum corpore ſecluſa omni operatione ex Scaligero, & vnio eſt cauſſa ſine qua non vitæ: ergo vita eſt cauſſa ſine qua non ſuiipſius, & idem cauſſa externa ſuiipſius. Hoc ſequeretur ſi anima eſſet vita: verùm illam opinionem iam refutauimus, & cùm nos aſſeramus vitam eſſe proprietatem corporis animati, cauſa huius proprietatis ſine qua non, eſt vnio animæ cum corpore ſine qua vita eſſe non poteſt. Et idcirco Scaliger definiendo vitam per cauſam, ſcribit eam eſſe vnionem animæ cũ corpore ſecluſa omni operatione, quod non conueniat proprietatibus agere. Addis ad Tyrones bonum eſſe verſari in doctrinis Galeni. Amabo te mi amice. Quo in loco Galenus eſt locutus de vnione animæ, & de vita, vt accipitur pro anima?

Sciant Tyrones Galenum non diſtinxiſſe animam à temperamento, & eam mortalem conſtituiſſe: vt licet colligere ex ea confutatione quam ſcripſit D. Thomas cap. 63. in hanc Galeni ſententiam, libr. 2. contra gentes.

Vt more tuo te in Græcis verſatum eſſe oſtentes, ſcripſiſti iam ter quaterue decantata omnibus vocabula ἐντελέχειαν & ἔργον: anima eſt, ἐντελέχεια, actus, perfectio, & non opus. Non admittis rationem Scaligeri quæ demõſtratiua eſt. Omnia animata viuere dicuntur, ſi vita eſt actio animæ: ergo anima dicetur viuere, nõ autem corpus: atqui hoc eſt abſurdum: ergo vita non eſt actio animæ. Non loquitur in eo loco Scaliger de actionibus immanentibus, aut tranſeuntibus, ſed de operationibus quibus propriè animantia ab inanimatis diſtinguuntur. Sed hoc eſt tibi familiare vt attribuas ſpeciei primò, quod generi conuenit: ergo verum eſt de anima in vniuerſum eam non viuere modo corporis animati, ſi vita ſit ἔργον. Neque ſibi hæc duo aduerſantur, vitam ab anima emanare in corpus, & animam non viuere modo corporis:

poris: nam emanatio non eſt actio eius, a quo enim aliquid emanat, vt emanatio lucis à ſole, non eſt actio lucis; ſed eſt quædam perfectio ab illo deriuata in aliud. Reliqua facilè intelliguntur.

Sequitur optimè ex his quæ dicta ſunt, vitam non eſſe actum ſecundum, quòd operatio non ſit, nec primum corporis, quia anima ſit prima: enimuerò tibi qui aſſeris animam eſſe vitam ſubſtantialem, conceditur profiteri vitam eſſe actum primum, ſed hoc fuit iam confutatum. Ita argumentaris. *Si vita eſt ἐντελέχεια neceſſariò aliquando erit anima, nullus enim alius datur actus perfectus in homine præter ipſam, aliter duo in eo ſtatuendi actus perfecti, ſicq́ homo erit ens per accidẽs.* O abſurditates multùm formidandæ! quod eiuſmodi alter actus perfectus tantum poſſit quàm anima (vt loqueris) cùm eſſet dicendum quantum: rurſus anima erit actus per alium actum, & ſic progreſſus in infinitum. Certè omnia illa abſurda ſunt abſurdiſſima; debebas apponere quæ ſcribo ſed more ſophiſtarum ea tegis quæ tibi aduerſantur. Hæc ſunt mea verba, quo aliquid ab alio diſtin-

cipiis eſſentiæ profluens. Sententia quam profers Galeni ex 9. Methodi 10. illo in loco non extat. Non ſum mutuatus illam propoſitionem à Fernelio, quòd vita ſit indiuidua comes animæ, & idcirco negaui vitam eſſe actionem. Lege ſpeculum naturale Vincentij, eam comperies propoſitionem, & pulcherrimas de vita diſquiſitiones.

Dixi argumentum negatiuum ab authoritate Ariſtotelis petitum non eſſe exigui momenti, ſcio enim argumentum negatiuum ab authoritate non recipi penes Philoſophos. Scribis ad calcem 2. partis tuæ reſcriptæ me non interfuiſſe tuis diſputationibus, in quibus fuerunt expoſitæ tuæ theſes: & non meminiſti epiſtolæ ad me ſcriptæ in qua earundem explicatio continetur.

AD

AD TERTIAM PARTEM RESCRIPTÆ D. SERPILLONI.

De motu muſculorum.

TERTIA pars meæ epiſtolæ complectitur refutationẽ theſis tuæ ſextæ, quam cùm nitaris defendere nos oppugnare contendimus: illa theſis ſexta huiuſmodi eſt. *Licèt in parte organica vt plurimùm vna pars ſimilaris ſola reperiatur, quæ actionis cauſſa eſt, nihilominùs vbi actio duplex exiſtit, oportet etiam agnoſcere duas partes præcipuas, vt vnicuique earum ſatisfiat. Ea ratione, ſi actio muſculi eſt contractio (motus rei in ſeipſam) & tenſio (quæ fit dum laxatim tenditur) cùm hæ duæ actiones fiant per motus contrarios, nos aſſeruimus, vt quemadmodum in eo præcipua pars contractioni dicata eſt caro, ita tendo erit præcipua cauſſa efficiens tenſionis.*

Prima pars tuæ theſeos aduerſatur do-

ctrinæ Galeni, qui pluribus in locis ſcripſit in partibus diſſimilaribus vnam eſſe partem ſimilarem præcipuam illius actionis: multas namque particulas à natura copulatas, quæ ad vnum aliquid referuntur ordine quodam conſtare eſt neceſſe: ordinis verò ratio eſt, vt alia aliis priora ſint. Cùm ergo in parte diſſimilari plures concurrant particulæ ad vnam actionem perficiendam, prima & præcipua aliqua ſit eſt neceſſarium, ad quam reliquæ ſuo quæque modo, referatur, & omnes ſimul ad finem, qui eſt actio totius partis. Poteras forſan confirmare tuam propoſitionem Galeni authoritate, qui c. 4. lib 1 de ſympto. cauſis ſcribit. Linguam eò quòd duabus facultatibus nempe ſenſui volūtatíque ſeruiat, duas quoque actiones habere: vnde poſſes colligere duas partes præcipuas ad duas illas actiones perficiēdas, neruum ſcilicet & muſculum: neruus enim guſtat in lingua, muſculus verò agitat linguam loquēdo. Verùm ſecundùm doctrinam Galeni libr. 1. de motu muſculorum vna erit pars pręcipua neruus vtriuſque actionis, duplex tamen facultate: vt enim neruus ſentit in

lin

lingua, guſtat: vt trahit in muſculis linguæ, locutioni ſeruit. Veriſſima ergo erit ſententia Galeni in parte diſſimilari vnā eſſe præcipuam partem, ad quam reliquæ referuntur eiq; vſum præbent. Muſculi vna eſt actio, motio ſcilicet partis cui inſeritur, quæ fit per tractionem: trahitur enim pars quæ à muſculo mouetur, & muſculus illam trahit: tractio verò muſculi eſt actio facultatis voluntariæ ſecundùm Galenum, qui definiuit muſculum voluntariæ facultatis inſtrumentum intelligendo de tractione & motione quæ fit ſecundùm naturam: nam in conuulſione trahunt muſculi partes quibus adhærent, ſed contra voluntatem ex doctrina Galeni, quòd arbitretur motum illum fieri ab inanitione & repletione partium, vt ab Hip. ſcribitur 6. Aphor.

Secunda pars tuæ propoſitionis omnino eſt ſuperiori repugnans: ais enim. *Si actio muſculi eſt duplex, nimirum contractio & tenſio, qui ſunt contrarij motus: duæ requirantur partes præcipuæ ad illas obeundas*, ex quo ego conijcio te non potuiſſe vti commodè argumento ſuperiori ducto ex linguæ du-

plici munere, quod illa ſint diuerſa officia tantùm, non contraria. Diuerſis autẽ vnum & idem poteſt ſeruire, diuerſa ratione ſpectatum: vt dentes conterendis cibis & efformandæ voci: contrariis autem forſan eſt impoſſibile. Quare indagãdum primo, nûm in muſculo admittantur duæ illæ actiones, contractio & tenſio, quę animaduertantur in vna & eadem actione muſculi, proficiſcentes à duabus ipſius muſculi partibus præcipuis. Contractionem definis *motum rei in ſeipſam*, paulò poſt ſcribis, *tractio in ſe dicitur contractio, quæ verò eſt ad ſe tractionis nomẽ generale retinet.* Suppoſueras autem ex 2. cap. libr. 7. Phyſ. Ariſt. Tractionẽ eſſe motum ab extrinſeco factum. Quibus ita poſitis argumentabor. Si tractio omnis ſit motus ab extrinſeco factus, & omnis cõtractio ſit tractio, ſequitur neceſſariò vt contractio fiat ab agẽte extrinſeco, quod falſum eſt: nam contractio partium naturalium vt cordis, inteſtinorum, tum etiam ipſius muſculi; manat à principio interno nimirum à motrice facultate naturali aut animali: ergo contractio illarum partium non erit tractio, quòd non

pro

proficiſcatur à cauſſa externa ſed ab interna, tamen contractio partium eſt earum ſimul tractio versùs aliquam partem ipſius quod contrahitur. Diſtinguendum ergo erat tractionem aliquam ab interna cauſſa pendere vt contractionem muſculi in ſe: aliam ab externa cauſſa, vt oſſis à muſculo, qui externus eſt ipſi muſculo. Contractio poteſt etiam fieri à re externa: vt quãdo ſpongia manu contrahitur, quæ propriè dicitur compreſſio.

Deinde ſcribis. *Quæ tractio, quoniam in muſculo tenſione fit, hinc eſt quòd tenſio etiam nuncupatur contractio.* Ergo per te erit tenſio, atqui contractioni tenſio eſt contraria; ergo contrarium dicetur de ſuo contrario, quod eſt abſurdum. Definis deinde contractionem *muſculi actionem, paßionem verò oßis.* Contractio muſculi eſt retractio in ſe à facultate mouẽte interna: tractio autem oſſis eſt actio muſculi, paſſio oſſis. Quare imaginandum tibi tractionẽ muſculi fieri per contractionem ipſius, vt anima mouet manum tãquam principium intrinſecum motus. Manus mota trahit id quod complectitur; ita facultas mouens trahit muſ-

culum, muſculus contractus trahit partem cui alligatur. Mox ſcribis *Auerroem numeraſſe contractionem inter motus violentos, quia animalis eſt, & naturali ſeu elementari aduerſatur, qui tantùm deorſum fit ratione grauitatis membrorum.* Contractio muſculi nõ poteſt dici violenta, quia fit ab interno principio omnia enim quæ violenter mouentur ab externo agitante mouentur, quare in referendo erraſti. Dicendum erat motum oſſis eſſe violentum, non quia animalis eſt, ſed quia ab externo: nam animale licèt opponatur naturali, non eſt tamen violentum quatenus animale: contractio enim muſculi eſt animalis, & non violenta: ſed qua ratione tractio eſt externa oſſi, producit motum violentum, & contra naturam oſſis. Subiungis: *ſi itaque muſculus articulum trahendo in ſe contrahatur & ad ſe trahat ipſum per tenſionem, neceſſariò ſequitur actionem eius eſſe quid mixtum ex tenſione & contractione, adeò vt ſecundùm vnam ſui partem muſculus tendatur, ſecundùm aliam cõtrahatur*: quod dicis te Galenum docuiſſe. Me puderet cõfirmare meam opinionem authoritate Galeni, qui cap. à te citato tantùm

tùm: agit de contractione & extenſione partium facta à muſculis andagoniſtis : tu verò loqueris de contractione & tenſione eiuſdem muſculi in vna actione & eodem tēpore facta, vt poſteà ſcribis, nec illa verba quæ refers ſunt in illo cap. vt legēti perſpicuum eſſe poteſt.

Quò te ſubducas à reprehenſione, laberis in grauiores errores : definis tenſionem *mutationem laxi in rigidum, mollis in durum.* Hęc mutatio cùm ſit qualitatum ſecundarum, quæ conſequitur primarum mutationem, non erit mutatiò loci de qua agitur in muſculi motu. Ad hæc cùm durum dicatur Gal. cap 5. lib. 5. de facult. ſimplic. medicam. quod eſt ſiccum, quod eſt congelatum, quod eſt plenū: muſculus durus non dicetur quia ſiccus, non enim exſiccatur propter illam mutationem, neque congelatus quòd tenſio congelationem producere nequeat: ergo muſculus durus efficietur quia plenus, non alio corpore muſculum ſubeunte, ſed propter congregationem partium, vnde ſequetur, quoniā contrariorum contraria ſunt conſequentia, vt laxus dicatur muſculus, cùm partes illius

diſgre

diſgregantur,ad eos enim motus reuocan-
tur omnes motus tractionis &pulſionis,ex
Ariſt.cap.7. libr.7.Phyſ. atqui cum diſgre-
gantur tenduntur,&cum tenduntur dure-
ſcunt,per te:ergo dureſcũt propter diſgre-
gationem,& molleſcunt quia non replen-
tur,quod eſt abſurdum. Te verò collocare
tenſionem in diſgregatione partiũ clarum
eſt,ex loco Gal. à te citato de nerui tenſio-
ne per ſimilitudinem cum fidibus cytha-
ræ.Scio te reſponſurum præter illa duri ſi-
gnificata, durum etiam conuenire tenſo:
nam tẽſum, quia pellenti renitatur, durum
dici poteſt. Admitto: verùm ſi actio muſ-
culi fiat contractione partium in ſeſe, &
tenſio diſgregatione: quo pacto vis vnum
& idẽ in vna actione agitari duobus moti-
bus contrariis, aggregatione partium &
ſegregatione, afficique diuerſis qualitati-
bus duritie & mollicie? Dices ſecundùm
diuerſas partes: atqui per te tenſio fit ad
extrema, actio muſculi non fit ad extrema;
ſed à cauda ad caput, quod autem tẽditur;
vtrinque tenditur;ergo nulla pars muſculi
contracti,per ſe tendi poteſt,de qua poſtea
fuſiùs. Cæterùm non aptè definis tenſio-
nem

nem per accidentia: accidentia enim ſunt laxitas & durities contractionis & diſtentionis. Tēſio eſt motus rei per diſgregationem partium factus: contractio eſt motus rei per congeſtionem partium.

Poſtea ſcribis; *diſsimiles itaque ſunt actiones, nempe contractio & tenſio.* Non ſunt diſſimiles, ſed contrariæ: nec appellas diſſimiles in theſi, ſed contrarias, & ratione agentium, & ratione termini: nam congregantur partes muſculi ab interno, diſgregantur ab externo; vt probatum eſt à te per Galenum: termini etiā ſunt contrarij: nam accumulatio ſiue contractio eſt motus ad internam partem muſculi, tenſio ad externam: nec ſunt confuſi motus, nec contractio ex his mixta.

Tandem coactus à veritate vnam vocas contractionem. Rationem das, *quòd illi præcipuè incumbat natura vt dummodo nihil prohibeat tenſionem contemnat, vt apparet in muſculis omnino carneis: tum quòd tenſio non ſit ſimpliciter neceſſaria; ſed duntaxat vbi robore eſt opus.* Video quid velis; ſed non potuiſti animo concipere quæ ſcripſimus in poſtrema parte noſtræ Epiſtolæ. In contra-

ctione omnis muſculi qui alligatur parti motæ, adeſt ſemper tenſio aliqua per accidens extremæ partis muſculi; ſiue muſculus ſit carneus, ſiue tendine conſtet, licèt appareat magis in tendine, quàm in aponeuroſi & carne: nam dum contrahitur muſculus vt trahat partem ponderoſam, non poſſunt contrahi omnes partes muſculi æquè: præſertim cùm extrema illius quæ muſculi cauda ab Anatomicis appellatur, alligetur parti quę mouetur cum aliqua violentia: Quare illa pars proxima rei mouendę diſtenditur quodãmodo, ſed per accidẽs: quia nimirum alligata: ſi namque ſecaretur in ſua extrema parte adhærente parti mobili, totus in ſe cõtraheretur muſculus, nullæ illius partes tenderentur: tenſio ergo illa non eſt motus differens à contractione, ſed euenit per accidens, vt tendantur extrema muſculi dum reliqua contrahuntur. Addis & aliam rationem *tum denique*, inquis, *quòd etiamſi diſsimiles ſint tamen vnica temporis (vt ita loquar) motione natura contractionem, & tenſionem molitur, vt ideo quia os eodem inſtanti versùs principium muſculi trahentis trahitur ipſe muſculus in ſeipſum*

ipſum tota actio muſculi dicatur contractio. Sine ipſa ipſeitate erat dicēdum, quia vna actio eſt, fit eodem tempore, & ea quæ videtur per accidens diſtincta, reuocatur ad contractionem: omne enim per accidens reuocatur ad per ſe ex D. Thoma lib. de corde.

Pergis ad confirmationem tuæ opinionis ex diſtinctione vocum à Gal. tradita, in primíſque *longè differre*, ais, *ex Gal. tenſionem ab extenſione.* Paulò poſt videbimus nûm hoc verum ſit: ſed prius licet quodammodo velitari. Tenſio omnis fit per partium diſgregationem, extenſio per earundem diſtractionem: ergo tenſio & extenſio non differunt. Tenſio eſt rei productio ad diſtantiorem terminum, extenſioni eadem definitio conuenit. Quo pacto ergo cenſes tenſionem ab extenſione differre? Oppones quæ ſcribis *cordas madidas tendi, & tamen breuiores reddi:* ex quo colligere licet tenſionem non eſſe progreſſum ad diſtantiorem terminum. Negamus intendi etiáſi indurentur, nam durities non eſt neceſſarium argumentum tenſionis, cùm illa poſſit proficiſci à plenitudine, à congelatione,

& à ſiccitate: & iam probatum fuit tenſionem fieri per diſgregationem partiũ: ergo tenſio ab extenſione non eſt diuerſa. Ad Galeni doctrinam nos cõuertamus. Is cap. 4. libr. 1. de motu muſculorum diſputans cõtra antiquos qui in muſculis ineſſe motus arbitrabantur, probat duos eſſe in vnoquoque muſculo. Cõcludens itaque contra illos, inquit. Motus vt actio vnus eſt in ſingulis, contrarius verò per accidens: ſiquidem operatur trahens ad ſeipſum particulam quæ mouetur, non operatur autem cùm in contrarium motum ab aliquo muſculo deducitur. Deinde ſubdit vnaquæq; particularum quæ mouetur à muſculis veluti à quibuſdam habenis in contrarium diſtracta, viciſſim habet alterum ipſorum intenſum, alterum laxatum: intenſus igitur trahit ad ſe, laxatus autem trahitur à particula, & propter hoc mouentur ab eo in vtroque motu. Ex quibus forſan colligis muſculum qui agit agendo intendi, & cùm eius actio ſit contractio, ſimul ipſum muſculum contrahi & tendi. Non eſt ille ſenſus Galeni: ſed muſculum qui tenſus fuerat ab alio andagoniſta, qui laxus

laxus tunc erat, contrahi: nam ſi non fuiſſet tenſus, non contraheretur: contractio enim eſt aggregatio ſiue accumulatio partiũ diſgregatarum per extenſionẽ. Quare cum muſculus contrahitur, non tenditur, ſed potiùs laxatur, & eius andagoniſta qui trahitur cum particula, tenditur ſiue extenditur. Quæ ſequuntur in textu Galeni forſan te deceperunt: legitur enim agere eſt eum qui mouet intendi. Legendum eſt contrahi à facultate, atque ita moueri: agit enim muſculus quando trahit partem, ſi namque tẽdi eſt muſculum agere, qui erat laxus dum trahitur ab andagoniſta tenditur. Ergo quod patitur quatenus patitur agit, quod eſt abſurdum. Quare nec ex doctrina Galeni tenſio muſculi ab extenſione eſt diuerſa: quod etiam confirmatur ex his quæ ſcribuntur c.8.lib.1.de motu muſculorũ. Quatuor igitur (inquit) ſunt omnino differentiæ motuum in muſculis: nam aut contrahuntur, aut extenduntur, aut transferuntur, aut tenſi manent. In contractione nulla fit mentio tenſionis quam tamen aſſeris mixtam ex contractione & tenſione. In hoc ergo vt in pluribus aliis,

Galenus tuus non eſt, neque lapis Lydius tibi. Agamus de motu tonico paucis, in quo tenſio muſculi cum eius contractione videtur aliquem habere locum. Galenus cap.7.lib.2. de motu muſculorum, probat non omnem motum muſculorum fieri actione eorundem, nec omnem immobilitatem priuatione actionis: decidētia enim membri paralitici eſt motus, non tamen pendet ab actione muſculorum, & manus ſurſum tēſa immota manet, ſuſtinetúrque à muſculis ne decidat: non poſſunt autem ſuſtinere niſi agāt, deprimeretur namque à grauitate corporis: ex quo ſequitur non omnem immobilitatē pendere à priuatione actionis, ſed ab aliqua actione muſculorum. Verùm actio muſculi eſt motus, actio partis namque à Galeno definitur 1. de locis affectis motus actiuus, quies verò eſt contraria motui. Galenus hanc quæſtionem arduam & difficilem exiſtimat, admonétque veritatis ſtudioſos, quid in re difficili enodanda præſtandum illis ſit: ſi enim argumētandi cupidi (inquit) in contraria argumentaremur, perperam ageremus, cùm autem non ſimus de numero eorum

rum qui ideo mouent dubitationes, vt nihil inueniatur, ſed de his potiùs qui diligenter omnia contemplantur, vt exactè diſcutiantur; oportet alacriter omne quod in controuerſiam venit in medium proferre nihil formidantes. Quæramus ergo an motus tonicus, ſiue firmus (à verbo τονόω, id eſt firmo, deductus) fiat cum actione muſculi. Galenus, cap. 8. lib. 1. de motu muſculorum poſtquam enumerauit multos modos huius tonici motus petitos ab experientia & ſenſus iudicio: ſupponatur (inquit) aliqua auis, quæ in äëre immota videatur manere: vtrum dicendum hanc immobilem eſſe, ſeu ſi ſuſpenſa ſuperne fuiſſet: an moueri ad ſuperiora tantùm, quantùm grauitas corporis eam deorſum deturbaſſet. Galenus aſſentitur poſtremæ parti quæſtionis: mihi (inquit) hoc veriùs eſſe videtur: nam ſi ipſam auem priuaueris anima, vel vigore, vel robore muſculorum celeriter ad terram deferri conſpicies. Ex quo manifeſtum euadit, æquale eſſe robur facultatis motricis animæ ad ſuperiora corpus efferentis, cum grauitate corporis deprimente. Hanc verò actionem eandem

eſſe genere cum contractione paulò poſt declarat, quòd ambæ ſint actiones: nam cùm dixiſſet quatuor eſſe ſpecies motuum in muſculis, contractionem, extenſionem, tranſlationem, & tonicum motum: addit primam & quartam eiuſdem eſſe generis, quòd conueniant in genere nempe actione, ſunt tamen ſpecie differentes ex Galeno. Differentiam ſpecificam Gal. non expreſſit, ſed mouet quæſtionem de momentaneis motibus ex breuiſſimis, quam relegat ad diſputationes de naturalibus motibus: tamen manus extenſa hominis robuſti manet immobilis: ergo aliqua actio muſculi conſiſtit in immobilitate illius. Quare hæc actio non erit mutatio loci, ſed tantùm actio cum immobilitate, Quo poſito quæro ſi daretur aliqua actio mixta ex tenſione & ex contractione in hoc motu tonico, quare Gal. illius mentionem non feciſſet? Ex doctrina Gal. poſſumus colligere actionem ſine motu muſculorum, tonicum dici motum: actionem cum motu, contractionem: motum ſine actione à muſculo contracto natum, extenſionem: decidentiam denique muſculi, motum à

pondere

pondere partis & muſculi. Verùm à quo proficiſcitur iſte motus tonicus? A facultate motrice iuſſa, vt reliquæ omnes actiones voluntariæ: quamobrem Gal. agit eodem cap. de facultate animali mouente muſculos, de cauſſa autem tonici motus pauca ſcribit. Forſan impudentis eſſet, poſt Galenum lumen medicinæ aliquid in hac re moliri. Ille tamen cap. 9. libr. 1. de motu muſculorum audendi anſam nobis ſubminiſtrare videtur, cùm ſcribit: cùm iam plurima quidem partim inuenerimus, partim verò alia diligenter ſimus perſcrutati, aliquis & alius quod deeſt inueniat: cum eius ergo venia conabimur cauſſam tonici motus proximam explicare. Ex Gal. cap. 8. lib. cit. animalis facultas mouet muſculos, eiuſdem verò eſt ſuſtinere membra cuius eſt mouere, decubitus enim in latus laudatur ab Hip. in prognoſticis, quòd robur facultatis motricis oſtendat. Manus tenſa ſuſtinetur tenſa à facultate animali per ipſos muſculos: verùm cùm actio muſculi ſit illius contractio, dum tenditur nõ contrahitur; ergo muſculus non agit in illo motu tonico manus. Gal. eam actionem

muſculi quæ apparet ſine motu locali, vocat cum antiquis motum tonicum: quòd forſan illi perinde ſit partem retineri in loco à quo recederet illa, niſi actione muſculorum in eo retineretur, ac moueri, quemadmodum dictum fuit ab illo paulò ante de aue quæ immobilis manet in aëre ſuſpenſa; quæ licèt veriſſimilia concedantur, nondum tamen explicatã eſt illa difficultas, de tenſione muſculorum in motu tonico: hanc conabimur enodare. Ponamus ergo manum eſſe contractam in pugnum, in eo ſitu muſculi interni manus ſunt laxi extremè, externi verò ſummè extenſi: ab hac poſitione extendatur manus & recta maneat extenſa tum immobilis, vt in robuſtis fieri poteſt: dum manus acquirit hunc ſitum, muſculi externi qui dum manus erat contracta in pugnũ extendebantur ſummè eovſque contrahuntur, donec manus erigatur & recta maneat: vt qui flexi erant extremè interni extenduntur etiam donec manus in eo ſitu conſiſtat, manétque in ſitu inter extremam extenſionem & ſummam flexionem, non tamen proinde contractio illa eſt mixta cum ex-
tenſio

tẽſione, ſed eſt cõtractio mediocris vtriuſque muſculi, actio illorum propria. Ergo neque in hoc motu tonico tenſio eſt mixta cum contractione, vt tu arbitraris.

Ad caput ſecundum partis tertiæ diſputationis reſcriptæ D. Serpilloni.

QVæris quænam pars in muſculo author actionis ſit aſſignanda: Eſſet tibi quærendum quænam partes ſint aſſignandæ authores actionum muſculi: cùm in tua theſi ſcribas duas partes eſſe præficiendas duobus motibus cõtrariis, tenſione & contractione, quas dicis eſſe carnem & tendinem. In principio huius cap. ſcribis diſpoſitionem muſculi iubere aut potius exigere vt diſſimiles ſint actiones, licèt deinde diſpoſitionem illam contrariam eſſe ſignifices, cùm ais, carnem eſſe mollem, tendinem è contra: meliùs è contrario ſpermaticam frigidum, ſiccum; atqui molle ſicco duro contrariũ eſt: erunt ergo per te illæ duæ actiones contra-

riæ. Paulò poſt explicas modum actionis vtriuſque partis. *Caro*, ais, *pro ſua naturali conſtitutione tantùm de ſua longitudine deperdit, quantùm profunditatis & latitudinis acquirit. Tendo veluti funiculus os trahendo cum ſummo robore ipſe tenditur, nimirum ita iubente eius natura, tumq́; ab eſſe reluctante in illius fine: abbreuiata verò carne in principia connatum ſibi tendinem trahente. Is tantùm de ſua profunditate & latitudine deperdit, quantùm longitudinis acquirit.* Nonne vides hanc extenſionem per accidẽs fieri, quòd muſculo contractio magis propria eſſe dicatur, quàm extenſio, ex cap 9. lib. 1. de motu muſculorum, & tendinem eſſe ſubiectũ tenſionis non cauſſam: ſed carnem ipſam vt ad finem pag. 128. tui libelli profiteris, his verbis. *Ergo muſculus quia componitur carne & tendine, ideo tenditur & contrahitur. Caro contractioni principaliter præeſt, tenſioni conſecutiuè, cuius tendo principale eſt ſubiectum*: ergo poſthac de eo nulla mihi tecum intercedat diſceptatio, cùm te tuis verbis victum fatearis oportet.

Subiungis vt probes tendinem eſſe authorem tenſionis muſculi: *vnde eſt quòd vbi*

ſola

ſola opus eſt contractione, vti in muſculis abdominis, ad comprimendas partes contentas per craßitiem acquiſita abbreuiatione, nullos reperias tendines propriè dictos. Multùm offendis opinionem præſtantiſſimi Medici & Anatomici D. Laurentij, qui omnes illos muſculos reſpirationi inſeruire contendit, ad quam opus eſt extremitatum muſculorum tenſione per accidens facta. Sed his relictis veniamus ad rem.

Vnica eſt pars præcipua cuiuſque partis diſſimilaris, quæ diuerſa in muſculo aſſignatur ab authoribus. Tu cum Domino Laurẽtio & Capiuatio cenſes eſſe carnem fibroſam compoſitam ex carne & fibris ſubſtratis: nihilominus ſimilare corpus iudicio ſenſus, ex doctrina Galeni. Hoc dubium non eſt, ſed duo me hac in re ancipitem reddunt. Primum eſt, an contrahatur caro, quia fibræ quibus infigitur cõtrahantur; an fibræ, quia caro; vel ambo ſimul. Secũdum an fibræ ſint filamenta neruorum, an corporis neruoſi, vt doctiſſimus Ab Aqua Pendẽte autumat. Cùm caro innitatur fibris, rationi conſentaneũ eſt, carnem moueri per fibras illas, cõmoto enim

fundamento, ea quæ illi nituntur commoueri eſt probabilius, quàm illud agitari mota carne fibris incumbente. Contractis ergo fibris contrahitur caro, atqui fibræ ſunt neruaceæ ſubſtantiæ tendinis nō obſimiles: ergo vt fibræ contractioni ſunt obnoxiæ, ita & tendo; ſi ergo tendatur, hoc illi per accidens contingit. Carnis vſus in muſculo alius eſt à contractione, ſecundùm doctrinam Galeni: contractionis ergo primum ſubiectum eſt fibroſum, ſiue neruaceum corpus, cui cùm adhæreat caro, & ex eo cum aliis partibus componatur tendo totus muſculus contrahitur beneficio neruoſi illius corporis. Ad ſecundum dubium me confero.

Neruus non poteſt ſubminiſtrare fibras carni muſculorum, vt doctiſſimè probat Eraſtus in theſibus ſuis de cōuulſione, tum Ab Aqua Pendente, quòd magni & vaſti muſculi paruos & perexiguos neruos recipiant, & quia nerui in portiones membranoſas deſinunt, quæ vix ac ne vix quidem feruntur ad tēdinem vſque. Præterea experientia compertum eſt fuſione carnium muſculi in aqua facta corpus illud

fibro

fibroſum ſubſtratum apparere: Denique ſi quis aſpiciat tendines digaſtrici muſculi, & aliorum, comperiet illud per ventres & carnes muſculorum ita euidenter diſſeminari vt nulla alia demonſtratione ſit opus: cûm internus neruus qui inſeritur illis muſculis, vix ſub aſpectum cadat; corpus ergo neruoſum eſt fundamẽtum muſculorum, & origo fibrarum. Oppones naturam nihil fruſtrà moliri; quocirca cùm poſſet neruũ ſpargere per totum muſculum, quò eſſet baſis ipſius carnis; quorſum corpus illud neruaceum fabricauit? Incommodũ maximè erat corpori, tam magnos deducere neruos à cerebro aut ſpinali medulla in vniuerſum corpus, qui poſſent eſſe tam vaſtæ molis carnis ſuſtentaculo: eam ob rem euitandæ huius incommoditatis cauſſa, natura nerueum illud corpus in primo ortu procreauit, quod cum neruo aut continuum eſſe poteſt, perſæpè namque mediocribus oſſibus magna capita adnaſcuntur, aut contiguum; recipit verò ſemper à neruo ſpiritus animales & facultatem motricem voluntariam.

Reſpon

Reſpondetur ad confutationes ſcriptas in tertiam partem noſtræ Epiſtolæ à D. Serpillono.

NOn potes abſtinere à tuis laudibus, quas in ore proprio ſcis ſordeſcere: cùm enim ex Galeno ſcribis vnius muſculi vnicum eſſe motum per ſe reſpondes cum faſtu: *imo accuratior fuit qui duos motus per ſe, & duos per accidens in muſculo agnouerit*. Modò tuus eſt Galenus, modò lapis Lydius tibi ſolus; nunc verò minùs accuratus, idque ais tibi demonſtratum eſſe cap. 3. partis tuæ reſcriptæ: ſi tibi demonſtratum fuit quod non ſemel profers ab alio tibi mõſtratum fuit, vt credo. Sed nemo præter te exarauit illam partem, vt dicis. Memini me apud illum veterem Cõdrienſem legiſſe ternum pro quarto cum præpoſituris, non ternum pro ſexto. Sed hæc ad grammaticos. Sat ſit tibi à nobis in ſuperioribus demonſtratum fuiſſe veram eſſe ſententiam Galeni, & tuam

tuam Galeni opinioni eſſe contrariam. Ingẽtem moueo lapidem cùm dico neruum in doctrina Galeni eſſe muſculi partem principem, Gal. cap 7. lib. 3. de locis affectis inquit muſculis omnibus motus principium ab inſertis ipſis neruis accedit. At cap. 3. lib. 12. de vſu partium ſcribit tendinem eſſe primum motus inſtrumentum: quare Galenus ſibi contradicit. Conciliatio horum locorum, qui prima fronte ſibi aduerſari videntur deducenda ex ipſomet Galeno. Is lib. de locis affectis ſcribit; in apoplexia & ſimilibus cerebri affectibus, in quibus lædi poteſt reſpiratio periculi magnitudinem ex anhelitus nocumẽto conijcere oportet. Hoc demonſtrat Galenus, ex eo quod reſpiratio fiat muſculorũ munere pectus mouentium, atqui muſculi recipiunt neruos à cerebro: à quibus muſculis accedit principium motus ſiue facultas motrix: quare neruus, qua ratione tanquam canalis deducit ad muſculos facultatem motricem erit principium motus muſculorũ. Libro verò de vſu partium cum ex Galeno tẽdo componatur ex neruo & ligamento, caro autem illi ſeruiat, vt

ſcribit Galenus in eo loco: ſequitur vt tẽdo ſit primum motus inſtrumentum in muſculo, cùm muſculus ad conſtituendum ipſum ſit comparatus, vt loquitur Galenus nimirum in quibus muſculis tendo adeſt: quare non dicitur tendo primum quod ſit proximum vt interpretatur Veiga loco à te citato, ſed præcipuum, vt ad quem tota muſculi compoſitio referatur.

Quæris an magis ponderi trahendo reſiſtat caro mollis laxa, vt ideo non tendatur, quàm tendo duriſſimus, qui partis omne pondus poſſet contemnere. Dico carnem contrahi in ſe, quia non adhæret oſſi in his muſculis in quibus adeſt tẽdo: in quibus autem nullus tendo eſt, caro aut aponeuroſis parti mouendæ proxima per accidens tẽditur, vt & ipſe tendo: nec quia caro non tenditur potiúſque contrahitur, magis reſiſtit ponderi ſed quòd ſine contractione carnis nõ poſſet fieri motus: quò autem probes tendinem tendi per ſe, non autem per accidens, ſcribis tendinem durum poſſe cõtemnere pondus, cùm iubeatur & cogatur agere ab ipſa voluntate: non contrahitur autem vt caro, licet illi vt toti

muſculo

muſculo ſit magis naturale cõtrahi, quàm tendi: quod non poſſit contrahi ob proximam reſiſtentiam ponderis, à quo traheretur in contrariam partem niſi trahendo illam ſuperaret. Non conuenimus ergo: quare nec tibi ſperandum me in tuam deſcenſurum ſententiam. Quæ interponuntur iam ſunt explicata.

Aſſeris tenſionem tendini eſſe innatam, contra naturam totius muſculi: motus partis tractæ non poſſet fieri ſine contractione muſculi: ſi id quod trahit tenderetur ſine mutatione loci, res quæ mouenda eſt non moueretur: res enim quæ cedit trahenti, locum ſubit trahantis. Contrahatur ergo oportet trahens, vel totum mutet locum oportet, vt illum cedat aduenienti tracto; muſculus totus non mutat totum ſuum locum, ſed in illo contrahitur: ergo & tendo cùm accedat versùs carnem contractam. Quare & ipſe contraheretur, niſi impediret pondus rei tractæ: ratione ergo illius reſiſtentiæ tenditur per accidens. Argumentum ducis ab etymologia tendinis, qui dicitur à τείνειν, tendere, Probas etymologiam illi conue-

nire. *Quoniam*, inquis, *facultates animæ ità determinantur per organa, vt ſæpe proportionem habeant naturæ actionis cui accommodantur: at conſtat ea tendi quæ in funis ſeu cordæ modum ſunt efficta: quare ſi tendo talis eſt neruis durior, ligamentis mollior, tenſio erit naturalis eius actio.* De facultatum determinatione ab organis, opinio fuit iam confutata in ſuperioribus. Dicas ergo diſpoſitionem partis accommodari fini, ſeu actioni ad quam refertur: atqui tendinis diſpoſitio eſt huiuſmodi, quod vt funis ſit effictus: certè tendo vt funis eſt efformatus, vnde corda à quibuſdam appellatur, vt cum maiori robore trahat, non vt tendatur niſi per accidens à quo deductum nomen.

Ais poſtea *licèt eam non parùm iuuet pondus oſſis, & carnis contractio.* Si hæc ita ſe habeant tenſio tendinis erit compoſita ex extenſione & tractione; quod nunquam cōcederes: nam extenſio ſecundùm Gal. libr. 1. de motu muſculorum naſcitur ab andagoniſtis: tenſio autem tendinis licèt accidentaria ſit, pendet à contractione carnis quodammodo, aut totius muſculi. Os tractum eſt cauſſa tenſionis tendinis,

nis, non vt extendens: extenderet enim ſi traheret tendinem, nam quæ extendunt trahunt: ſed vt impediens ſuo pondere natiuam contractionem illius, vt cernitur in ſecto tendine prope os cui inſigitur aut adhæret.

Argumentaris: ſi ſoli pōderi oſſis id concedas, tenſio quoque carni tribuenda erit. Non attribuimus tenſionē accidentariam tendinei oſſis tractui in contrarium, nam ita extenderetur, non tenderetur: ſed contractioni carnis, aut totius muſculi. Cæterùm in muſculis carnoſis caro proxima parti trahendæ tenditur per accidens, vt tendo in muſculis tendine conſtantibus.

Vt foliis paucioribus mādem mea carmina, & parcam perituræ chartæ: reliquis parce, vt tibi parcam, quibus tamen fuit in ſuperioribus reſponſum.

Poteram multò plura ſcribere, quæ penes me conſeruabo, quouſque emergat altera reſponſio D. Serpilloni, quam accincti gladio litterario, aut pēna inſtructi ardenti animo ſpectamus, tum ea ad quæ ſe accingit refutanda in noſtris ſcriptis.

FINIS.

DE DEMONSTRATIONE MEDICA LIBRI DVO.

PRÆFATIO.

DIVVS *Auguſtinus lib. de vtilitate credendi ſcribit.* Cùm intueor mentem humanam, tam viuacem, tamque perſpicacem, non puto eam latere veritatem, niſi quod in ea quærenda modus lateat. *Arbitrabatur ergo ſanctus ille, totam ferè veritatis agnoſcendæ difficultatem eſſe conſtitutam, in modo quærendi. Hunc modum Ariſtoteles 2. metaph. appellauit modum ſciendi, cùm ſcribit, ſtultitiæ ſimile eſſe, ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi: Modus autem hic ſciendi duplex eſt; prima illius differentia ſumitur à diſpoſitione intellectus*

eorum qui diſcunt & doctrinam recipiũt: ſecunda à rebus quæ diſcuntur. De his qui diſcunt ita ſcribit Ariſtoteles lib. citato, neque omnes eodem modo diſcunt, propter diuerſas inclinationes hominibus innatas, tum propter conſuetudinem: vt enim quiſque conſueuit à teneris annis diſcere, ita doceri exoptat. Profectò cùm doctrina ſit cognitio alio dictante recepta, omnia autem quæ recipiuntur modum illius ſequantur à quo recipi ſolent: certè inclinationi naturali, & conſuetudini doctrina erit accommodanda: qui ratiocinandi facultate ſunt debiles, exemplis volũt inſtitui: in exemplis namque vnum ex altero ſimili colligitur, quod facilimũ eſt: in ſyllogiſmo verò medium connectitur cũ duobus extremis in duabus primis propoſitionibus, ex quibus elicitur cõcluſio. Quare cùm multæ fiant connexiones, difficilis hinc oritur mentis operatio: à debili autem quod difficile eſt vix præſtari poteſt. Qui ſuo ingenio parum fidunt, omnia aliorum authoritate fulciri exoptant. Imaginatione pollentes mathematicè volunt inſtitui, per figuras & delineationes. Qui ſunt acri intellectu & perſpicaci, accurata demonſtrandi ratione delectantur, qualis exercetur in ſublimioribus doctrinis. Qui memoria valent, quæ didicerunt optimè pronunciant,

raro

rarò tamen inueniendi facultate præſtant, quòd vtriuſque ratio ſit diuerſa. Atque hi fere ſunt modi ſciendi ratione ediſcentium; ad quos cùm non aduertunt præceptores, ingenia ſcholaſticorum miſerè torquent, dùm eos ad illas diſciplinas compellunt, ad quas nullo pacto nati ſunt. Alius eſt modus ſciendi ratione rerum quæ ediſcuntur, de quo præcipuè loquitur Ariſtoteles 2. Metaphy. eſt autem neceſſarius, ne humana mens cæca & incerta aberret. Ariſtoteles hunc modum ſciendi appellauit peritiam cap. 1. lib. 1. de partib. animal. definitque, facultatem iudicandi, quid rectè aut non rectè ab eo qui docet explicetur. *Vocatq́; hominem ea facultate præditum,* vnum ex omnibus peritum. *Is modus aut eſt generalis, aut particularis; ille docetur in Logica, hic in vnaquaque ſcientia peculiari, quod exemplis multis poteſt doceri apud Ariſtotel. Is enim in principio Phyſices peritiam illius ſciētiæ tradidit: tum in lib. de part. animal. & aliis in locis: Gal, paſſim in ſuis libris modos ſciendi particulares ſcribit. Noſtrum inſtitutum eſt agere de demonſtratione medica, quæ modis ſciendi poteſt annumerari: de qua plures cōſcripſiſſe libros multis locis teſtatur Gal. qui temporum iniuria periere noſtro magno malo. Horum doctrinam reſtaurare, mearum non eſt virium: poſſumus*

tamen eius, & Ariſtotelis veſtigiis inſiſtentes, ideam quandam medicæ demonſtrationis exprimere. Noſtrum inceptum augebit poſteritas ſuis laboribus. Doctrinæ verò huius contemplatio, quàm ſit neceſſaria Medico oſtendit Gal. cap. 2. de propr. lib. dum ſcribit, Nihil prius neque ſtudioſius diſcendum mihi demonſtratiua theorica duxi, *& cap. 4. lib. 1. de metho. mede.* Prauorum dogmatum principium eſt, nihil de demonſtratione priùs cogitato, ſimul res ipſas inquirere, veluti neſcientem quidnã ſit demonſtratio demonſtrare tentare, *& lib. de ſubſt. facul. natur.* Haud quaquã mihi ipſe, id quod alij faciũt, perſuadeo ea certa notitia tenere, quorũ certam demonſtrationẽ minimè ſum cõſequutus: *ſic ſcribit 1. de nat. huma.* Vulgus in diſcendis demonſtrationibus ſtudiũ ponere detrectat, quæ non agnouit his reclamat promptè: contra ſtudioſi & veritatis amatores, omnem in percipiendis demonſtrationibus induſtriam locant. *Medico ergo diligẽter ediſcenda ratio demonſtrandi. Nos, vt prima lineamẽta illius ducamus, viuos colores doctioribus relinquentes, præcepta generalia quædã, ex Ariſtotele deprompta accommodabimus ſcientiæ medicinæ.*

LIBER

LIBER PRIMVS.

De Demonſtratione Medica.

Caput I.

IN omni demonſtratione tria ſunt præcognoſcenda ex quibus illa componitur. Subiectum, quale eſt in medicina corpus humanum, ſanitatis, morbi, & neutrius ſtatus capax: de quo intelligendum eſt in rerum natura eſſe, & quid ipſum ſignificet. Affectio ſiue proprietas, vt ſanitas, morbus, neuter ſtatus: de qua quærendum quid ſignificet, ratioq́; nominis explicanda. Principia denique, de quibus præcognoſci debet vera eſſe, vt in Medicina, corpora humana quatuor conſtare humoribus, tres eſſe facultates corpus humanum regentes. Ex his ita perſpectis componitur demonſtratio, in qua ex cognitis incognita intelliguntur: concluſio quippe dignoſcitur beneficio propoſitionum antecedentium, maioris & minoris: magíſque proinde cognitæ dicuntur &

notiores concluſione: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ex quo enim mihi ſunt perſpectæ hæ duæ propoſitiones: omne quod lædit actiones humani corporis proximè, morbus eſt, fæbris lędit actiones humani corporis proximè: venio in cognitionem huius concluſionis, ergo febris eſt morbus, Gal. cap. 2. lib. 2. de temper. *Non eſt ſumenda fides, inquit, ex his quæ nõdum ſciuntur, ſed æquum eſt, vt quod ſumendum ad demonſtrationem eſt, vel euidẽs aliquid ſit oportet, vel iam ſit probatum: in euidentibus namque rebus initia cuiuſque demonſtrationis conſiſtunt, ex cap. 3. lib. de plenit.* Demonſtratio ratione finis deſcribitur, ſyllogiſmus gignens ſcientiam; ſcientia autem eſt cognitio rei per cauſam, & quod hæc ſit cauſa, fieríque non poſſit vt aliter ſe habeat. Facies hypocratica initio morbi acuti nata funeſta eſt, quòd ſignificet caloris naturalis interitũ: hoc ita cauſa eſt funeſti euentus, vt aliter ſe habere non poſſit; quare hic ſyllogiſmus pariet ſcientiam. Omne quod ſignificat caloris natiui interitũ funeſtum eſt: facies hypocratica initio morbi acuti nata, ſignificat caloris innati interitũ: ergo funeſta

funeſta eſt. Color liuidus partis & ſenſus deperditio, calorem partis neceſſariò extingui teſtantur. Demonſtrationis materialis definitio eſt ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, medióque carentibus, notioribus, & prioribus ipſa cõcluſione, & cauſis eiuſdem: ex quibus ſequitur illas propoſitiones eſſe etiam proprias. Primę medióque carẽtes ſunt, quæ per alias priores non demonſtrantur in eadem ſcientia: qualis eſt hæc propoſitio in Medicina. Corpus humanum conſtat quatuor elementis: neque tamen neceſſarium eſt omnem demonſtrationem conſtare ex medio carentibus: ſed ſatis eſt vt ille qui demonſtrat, ſciat reſoluere per intermedias demõſtrationes vſque ad prima principia artis, in qua demonſtratio ſuſcipitur: vt Gangrena eſt lethalis, quia ab extinctione caloris natiui proficiſcitur, hæc autem quia facultatum noſtrum corpus regentium interitum affert: quod ex primis & immediatis eſt in Medicina. Debent autem eſſe propriæ. niſi enim propriæ eſſent, poſſent conuenire & non conuenire: at ſcientia gignitur ex neceſſariis. Porro proprias & neceſſarias cau-

ſas eſſe oportet, nam ex nõ neceſſariis colligitur aliquando concluſio neceſſaria non ſciẽtifica tamen: vt omnis tumor eſt morbus, phlegmone eſt tumor, ergo eſt morbus: concluſio eſt neceſſaria, licet maior ſit falſa: nam grauiditas quæ tumor eſt vẽtris naturalis, non eſt morbus. Neceſſitas autem propoſitionum cõſiſtit in hoc, vt prædicatum dicatur de ſubiecto, de omni per ſe vniuerſaliter, & primo. De omni, hoc loco, eſt attribui omni indiuiduo ſubiecti, quolibet tempore, vt morbus eſt affectio præter naturam actionem proximè lædens, nullus namque fingi poteſt morbus ſingularis, cui illa definitio non cõueniat. Dici de nullo, quod explicatur propter demõſtrationes negatiuas, eſt negari de ſubiecto, & de omnibus indiuiduis ſub illo contentis quolibet tempore: vt nulla fractura eſt vlcus, omnis fiſtula eſt vlcus, ergo nulla fiſtula eſt fractura: in qua demonſtratione fractura negatur de omni fiſtula quolibet tempore. Per ſe verò dicitur conuenire attributum ſubiecto, cùm per ſe & non per aliam cauſam, aut per aliud accidens cõuenit ſubiecto, vt febri per ſe conuenit

uenit eſſe calorem præter naturam. Quatuor ſunt modi dicendi per ſe. Primus refertur ad cauſſam formalem, cùm definitio aut pars illius conuenit & attribuitur definito: definitio namque forma totius appellatur: vt os, pars eſt ſpermatica terrea & maximè ſicca. Secundus quando ſubiectum eſt de definitione attributi, & cùm propria paſſio prædicatur de ſubiecto: vt cantarides ſolam lædunt veſicam: magnes attrahit ferrum. Tertius eſt quando effectus attribuitur cauſæ propriæ, vt qui ſumpſito medicamentum catarticum deiecit: deiectio namque eſt effectus medicamenti purgantis. Quartus ſignificat priuationem rei alterius per quam res fit, hoc pacto dicimus ſubſtantiam eſſe per ſe, quia non eget alio vt ſit. Tres priores modi locum habent in demonſtratione, quartus non itē: animaduertere verò oportet, quoniam de proprietatibus frequens eſt habitus ſermo, eas eſſe duplices: nempè connexas, vt numeri, par & impar: corporis humani, ſanitas, morbus, neuter ſtatus: aut ſimplices, vt magnetis attrahere ferrum, rhabarbari bilem purgare. Vniuerſaliter dici, eſt con-

uenire per ſe primo ſubiecto, vt indicare refrigerantia remedia vniuerſaliter conuenit affectui calido per ſe primò, morbo lædere actiones corporis humani immediatè. Auicennas cap. de vento ſeptentrionali fen. 2. lib. 1. doct. 2. ſcribit, *ventum Septentrionalem corroborare indurare, quæ manifeſtè fluunt cohibere, claudere poros, concoctionem augere, ventrẽ ſiſtere, vrinam augere.* Hęc vento primò non conueniunt, ſed frigori: deinde aëri frigido, ſiue ille fuerit frigidus factus, aut à vento, aut ab anni tempeſtate, aut à loco, aut ab alia re. Vento quidem Septentrionali in regionibus quæ continentur à polo artico vſque ad tropicum cancri, conuenit per ſe aërem putridum & peſtilentem corrigere & purum reddere: ad hoc enim non tantùm eſt opus frigore, ſed motu quo pelluntur & diſcutiuntur teтri vapores. Vniuerſaliter primum infert, negationem prioris, id eſt, vt huic conueniat cui attribuitur, nõ per aliud cui priùs id conueniat: impoſſibile enim eſt, vt probat D. Tho cap. 15. lib. 2. contr. gen. vnum duobus conuenire, & vtrique ſecundùm quod ipſum: quare vniuerſaliter dici, eſt attribui

attribui alicui ſubiecto omni, per ſe, primò, & ſecundùm quod ipſum. In aſſignando autem vniuerſaliter primo, tribus modis error committi poteſt, de quibus luculenter contra multorum opinionem ſcripſit Petrus Cathena Venetus cõ. in lib. de demõſtr. Primus eſt cùm præter ſingulares aut ſingularia, nihil eſt quod accipiatur ſuperius: in medica arte rarũ eſt exemplum, & inuentu difficilè. Cathena appoſitè explicat de paralellis, ad quarum paralellitatem (ſi ita loqui liceat) probandam variis vtitur mediis Euclides; nulla tamen res eſt communis, cui primò illa media conueniant. Secundus eſt quando natura ipſa eſt communis nomine certo deſignata, verùm quia non habet ſub ſe plures ſpecies, ideo illa, etſi ſit & nomen habeat, in pluribus tamen rebus differentibus ſpecie non eſt, ob defectum illarum ſpecierum, vt ſol, mundus, terra: Si quis ergo huic ſoli viſibili attribuerit, quæ ſoli conueniunt errabit. Tertius modus eſt, quando id de quo demonſtratur eſt vt totum in parte: nomine totius, intelligit vniuerſale; partis autem, inferius aliquid ad ipſum

vniuerſale: vt ſi ædemati propriè dicto ea attribuantur, quæ tumori præter naturam conueniunt primò & vniuerſaliter, vt deprauare cõformationem, error committetur. Erramus autem in illis; non tantùm quæ ordine categorico diſponuntur, ſed etiam in ſignis explicandis, ſiue illa affectus ſpeciem oſtendant, ſiue cauſam illius, ſiue affectus magnitudinem, ſiue morem aut partem affectam, criſis ſpeciem, modum, tempus aut aliquid aliud tale. Quàm verò horum cognitio ſit neceſſaria ad prædicẽdum, & ad victus rationem inſtituendam, intelligere eſt facile ex Gal. cap. 4. lib. 3. de Criſibus: hæc autem cùm non diſtinxerint multi melioris notę Medici, in exercitationibus medicis ſpecialibus, ſigna omnia confuderunt attribuentes ſpeciei morbi, multa quæ ſunt aut cauſæ, aut partis affectæ, aut magnitudinis, aut moris, aut rei alterius. Ætius ex Ruffo deſcribit ſigna inflammationis veſicæ hoc pacto. *Signa inflammationis veſicæ ſunt febris acuta, vigiliæ, delirium, bilioſus vomitus, vrinæ difficultas, durities pubis, & dolor vehemens, frequens egerendi appetentia, veluti in Teneſmo*

fieri

fieri ſolet, egeſtio tenuis, ſine ſubſidentia. Quæ omnia ſunt confuſa nec ſolius ſpeciei: quare diſtinguenda artificio demonſtratiuo, vt nimirum ſigna ſignificato proprio primò & per ſe attribuantur. Difficultas meiendi in inflammatione veſicæ, eſt ſignum inſeparabile partis affectæ, veſicæ nempe: non tamen proprium, aliis namque competit, carunculis nimirum & tuberculis in ductu vrinario natis, tum veſicæ debilitati. Durites pubis eodem pacto eſt inſeparabile, non item proprium. Egerendi difficultas inſeparabile, propter compreſſionem inteſtini recti: deſidendi cupiditas frequens, pari modo: nam illa contingit etiam inflammato vtero, & ab acrimonia humorum inteſtina vellicante. Febris eſt inſeparabilis comes omnis internę inflammationis, non ſolùm veſicæ. Vomitus bilioſus & vigiliæ, per ſe nullo modo ſignificant, neque morbum, neque eius cauſam, neque locũ affectum, vigiliæ namque in hoc affectu ſunt effectus & ſymptomata febris, & doloris, ergo primò & per ſe ſignificant febrem, non inflammationẽ. Bilioſus item vomitus, ſoboles vigiliarum &

febris eſt: nam per æſtum & vigilias multa colligitur bilis in vẽtriculo, quæ vomitum mouet. Non ſunt ergo ſigna inflammationis, ſed potius magnæ febris & vigiliarum: quia potius magnitudinem inflammationis ſequuntur, quàm inflammationẽ ſimpliciter. Auicẽnas tradit ſigna colicæ apoſtemoſæ cap. 3 tract. 3. fen. 16. lib. 3. *dolorẽ tenſiuum, fixum, cum grauitate & pulſatione, febrem acutam, ſitim vehemẽtem, rubedinem, inflammationem in oculis, retentionem vrinæ, fluxum alui, aliquando dolor lenis adeſt, nonnunquam frigus extremitatum, cum calore vehementi, & rubore in ventris ſuperficie.* Hęc confusè traduntur ſine vlla obſeruatione demonſtratiuæ doctrinæ. Dolor tenſiuus ſignificat materiam diſtendentem, fixus fixam: grauitas materiæ pondus aut debilitatem partis: pulſatio caliditatem cum repletione: quæ omnia coniuncta oſtendunt tumorem præter naturam calidum. Febris verò inſeparabile eſt ſignum inflammationis, non proprium. Sitis neque proprium neque inſeparabile; vt neque rubedo quæ materiæ ſanguineæ inditium eſt. Retentio vrinæ eſt ſignum affectus veſicæ per ſe aut
per

per conſenſum: quare potiùs loci affecti: fluxus item loci affecti nota eſt. Dolor le-nis paruitatem morbi denotat. Frigus ex-tremarum partium cum calore vehemēti, magnitudinem affectus; vt & rubor in ſu-perficie ventris apparens. Gal. huius me-thodi fuit obſeruator, libr. de conſt.art in exemplo de pleuritide: Quò intelligant omnes nos doctrinę Gal. conſentanea per-ueſtigare. *Fingamus* (inquit) *membranam co-ſtas ſuccingentem phlegmone laborare: affectio hæc nimirum à phlegmone eſt, ſymptoma qui-dem neceſſariò habens tumorem præter natu-ram, ruborem, dolorem: quorum duo iam nō ſub-incidunt, ſolus autem dolor relinquitur, qui in coſtis proueniens punctionem excitat. Dolet igi-tur homo qui phlegmone afficitur: doloris vero ſpecies pungens eſt, quòd affectæ particulæ ſub-ſtantia membranoſa ſit. In coſtis verò prouenit, quia illæ afficiuntur: quinetiam dolor latiſſimè ſpargitur, quòd membrana illa plurimùm ex-tenſa eſt: porro febris ex neceſſitate ſequitur, tum propter affectum, tum propter particulæ ſitum: quorum alter ſi abſit, febris neceſſariò non ſequi-tur. Neque enim ſi digitus inflammatione labo-rat, ſtatim febris inuadit, quoniam procul à cor-*

de ſitus eſt: neque cùm membrana coſtas ſuccingens affecta fuerit, vel ſchirro vel ædemate: quanquam difficultas ſpirandi neceſſariò partem infeſtet, quia reſpiratorij cuiuſdam inſtrumenti portio eſt. Atqui ſpirandi difficultatis ſpecies, non propter partem, ſed affectum erit, quippe dolor ſpiritus inſtrumenta plurimùm diduci prohibet: ideoq́ actionem reſpirationis vſu nondum expleto diſſoluit: vnde ad ſecundam actionem celeriter accedere neceſsitas eſt, ſed tantùm quietis quantùm à naturali habitu intermittunt: atque ſic ſpiritus paruus, & frequens redditur. Iam quidem pulſuum alteratio ex neceſſitate membranæ illius phlegmonem comitatur, neque ea ſeiungi poteſt à febre, neque à forma affectæ partis: arteriæ namque edunt pulſum maiorem, celeriorem & frequentiorem, propter febrem præſentem: duritiem verò, ac contentionem iunctam habet, quia pars ea quæ inflammatione laborat, neruoſa eſt. Igitur hæc ſymptomata, membranam ſuccingẽtem inflammatam neceſſariò conſequuntur. Reliqua ſigna perſequitur Gal. eadem methodo demonſtratiua, quæ ne prolixus ſim libenter prætermitto, tũ quod illa quiſque facilè apud Gal. contemplari poſſit: nos praxim hoc

arti

artificio demōſtratiuo diſpoſitam, ſcripſimus. Verùm duplex eſt ratione progrediēdi in illis: aut enim poſito affectu & parte affecta, quæruntur ſymptomata, aut ex ſignis affectus ſpecies, cauſa, magnitudo, mos, & motus inueſtigantur: quæ in hoc breui exemplo docebimus. Anginā ſignificant gutturis affectus vt plurimùm inflammatorius, difficultas ſpirādi, & deglutiendi, cum febre cōtinua. A ſanguine magis pendere oſtendunt facies rubore ſaturata, oculi rubentes, lingua rubicunda, ſapore dulci perfuſa ſaltem in principio, dolor tenſiuus faucium: bilē redundare demonſtrant inflammatio magna, ſitis vehemēs, dolor pungens partis affectæ, amaror linguæ, ac ſiccitas, lingua bile tincta. In hac cauſa & ſuperiore affectus occupant magis partes laringis internas ob materiæ tenuitatem, quæ faciliùs penetrat ad partes internas Si à pituita pendeat, ſapor percipitur aut ſalſus, à ſalſa pituita, aut dulcis vel inſipidus, humores viſcidi ore contenti & ſupra linguam ſparſi, ſitis parua, inflammatio leuis. Succum melancholicum detegunt, durities tumoris, ſapor aceto-

ſus.

ſus:hæ duæ poſteriores cauſæ apparēt rarò in partibus faciei interioribus, propterea-rū craſſitiem. Eſt verò anginæ ſpecies quædā à luxatione vertebrarū colli, quam declarat colli cauitas in ea parte qua vertebra eſt luxata. Magnitudinem anginæ patefaciunt difficilis reſpiratio frequens & celer, magna difficultas deglutiendi, potus per nares excluſio, orthopnœa, linguæ exertio, ſpuma ora prodiens, oculorum ad exteriora prominentia. Malignitatem produnt illius, ex Hipp. ſputa ſubarida, tarda difficilis expectoratio, ſputa viſcida, craſſa, alba, vi repurgata, ſubarida, tuſſes mouentia cum lateris dolore: mittem oſtendunt, cita & facilis expectoratio materiæ benignæ & coctæ. Acutus eſt morbus, atque acutior, quò maior & malignior: extremè acuta eſt illa, quæ neque in ceruice, neque in collo quicquam conſpicuum edit, cum difficili ſpiritu & ſuffocatione: minùs acuta eſt, ſi in ceruice tumor adeſt, aut in pectore, & quò magis materia foras fertur: quæ ſunt etiam ſigna magnitudinis & moris, qua ratione ſunt magna, aut parua ſymtomata, maligna vel benigna. Motus au-
tem

tem ſunt indicia qua ratione ſignificant morbum celeriter, aut tardè ad finem perventurum.

De Principiis.
Cap. II.

PRincipia ſunt propoſitiones generales, à quibus concluſiones fidem mutuantur. Horum variæ ſunt diſtributiones: alia namq; ſunt mediata, alia verò immediata. Gal. 2. cap lib. 2. de temperamentis ſcribit, *quod eſt ſumendum ad demonſtrationem, vel euidens ſit aliquid oportet, vel quod prius fuit demonſtratum.* Euidentia ſunt immediata, quod verò prius fuit demõſtratum eſt mediatum principium, habet namque medium quo probari poſſit. Immediata ſunt propoſitiones in quibus propria affectio attribuitur definitioni ſubiecti, vt animal rationabile eſt riſibile; aut definitio definito, vt Epilepſia eſt concuſſio totius corporis interpolata, cum læſione principum facultatum. Mediata poſſunt probari per alia priora, vt quatuor humores ſunt contrarij, quia conſtant ele-

mentis contrariis:quæ enim contrarijs cõſtant contraria ſunt. Calidis affectibus frigida remedia conueniunt,quia contrariorum contraria ſunt remedia: immediata etiam dicuntur axiomata illa, quæ prima ſunt omnino principia, lumine naturali intellectus agentis cognita.

Secunda diuiſio eſt,vt alia ſint propria, alia communia multis ſcientiis: vt Medicinæ & Phyſicæ commune principium eſt, ſi ad cauſæ efficientis vim &energiam,accedat patientis præparatio,affectus neceſſariò producitur: quo principio vſus Hippocrates tertio libro Apho.inſtituit prædictionem futurorum morborum: recenſet enim conſtitutiones temporum, præterea corporum diſpoſitiones ſiue pręparationes ex quibus morbos futuros prædicit. Propria verò ſunt per quæ ſcientia aliqua probat de ſubiecto affectiones, quæ illi per ſe inſunt. Muſculus omnis motioni edendæ dicatus,trahit partem cui inſeritur.Omnis morbus frigidus ſuccedens calido in parte principe eſt læthalis,& ſimilia.

Tertia diuiſio principia ſunt poſtulata, aut ſuppoſitiones, aut definitiones, aut axioma

axiomata. Poſtulata ſunt propoſitiones non demonſtratæ, quas tamen demonſtrator ſibi concedi poſtulat doctrinæ cauſa, etſi contraria ſint opinioni adiſcentis: vt duplex eſſe ſemen, nempe maſculeum & fœmineum ex Hippoc. Suppoſitiones ſunt propoſitiones quæ poſſunt demõſtrari, aut demonſtratæ ſunt: tamen accipiuntur vt demonſtratæ & veræ, quòd ita adiſcenti & reſpondenti appareant; ita Gal. 2. lib. de ſemine diſputás de ſimilitudine fętus cum parentibus, ſupponit hanc propoſitionem demõſtratam in lib. 1. de part. ani. & in lib. de vſ. par. nimirum, *moribus & facultatibus animæ idoneum corpus præparare naturam: mores verò & facultates, ex ſubſtantiæ temperatura habere; vnde ipſius prima generatio exiſtit*, Ex his ita propoſitis (inquit) *conficitur, vt animalium ſpecies, generationi ſubiectas ſubſtantias ſequantur: atque vnumquodque animal, vt bos vel equus vel homo vel quæpiam alia ſpecies, euadat ex ſubſtantia ipſa vnde genita eſt: natura verò eius, ſit facultas quædam, quæ ſubſtantiam eam mouet & fingit*. Galenus etiam cap. 4. lib. 1. de ſanitate tuenda, multas propoſitiones ſupponit tanquam fun-

damenta artis ſanitatis tuendæ. Definitiones non ſunt propoſitiones, continent tamen naturam rei definitæ, niſi nomine definitionis intelligamus totam illã orationem quæ conſtat definito & definitione. Axioma propoſitio eſt quæ nulla demonſtratione probari poteſt, verùm lumine ſolo naturali intellectus agentis cognoſcitur, terminis quibus conſtat intellectis, qualia ſunt Metaphyſicæ prima principia, quæ licet in principiorum medicorum numero non habeantur, tamen medico cognoſcenda ſunt, quòd principia propria ab illis communibus vim & energiam ſumãt: ſcribit enim Gal. cap. 4. lib 1. method. med. *Arbitror in his omnibus quæ in medicina demonſtrantur, ad primas & indemonſtrabiles propoſitiones & quæ ex ſe fidem habeant, omnia eſſe perducenda.* Præclarum item cenſetur, & viro docto dignum à Medicinæ principiis negatis, deducere ad illa prima per reſolutionem, quò fateantur luminis naturalis vi vera eſſe illa quæ demonſtrata ſunt; & nè quis vanum hoc eſſe figmẽtum putet exemplum apponemus. Opinio quorundam eſt, fibras diaphragmatis trahere mediam

mediam partem ipſius ; ſicq́; trahi coſtas flexiles ad ipſum medium, ex quo ſequitur fibras illas trahere ſimul, & trahi: quod ſi verum ſit, idem agit & patitur à ſe, éſtque proinde potentia & actu ratione eiuſdem, eſt denique & non eſt. At primum eſt metaphyſicum principium: quodlibet eſt vel non eſt: ergo falsa eſt illorum ſententia, Scientię peculiares vtuntur communibus, principiis potentia non actu id eſt non aſſumunt illa principia communia actu: verùm accipiendo proprios terminos ſcientiæ, ſubintelligunt illa prima principia: vt ſi quis ita ſumat. Aut morbo debētur contraria remedia aut ſimilia; in hac facultate continetur illud primum principiū, quodlibet eſt vel non eſt.

Gal. libr. de alim. facult. aliam tradidit principiorum diuiſionem. *Principiorum* (inquit) *duo ſunt genera, aut enim à ſenſu, aut à notione euidenti demonſtratio omnis ac fides proficiſcitur.* Quod repetit libr. 1. de facul. medic. his verbis. *Omnis demonſtrationis & inuentionis principia, ſunt quæ ſenſui aut intellectui euidentia ſunt.* Hæc diuiſio medicinæ ſcientiæ maximè eſt accommodata, ea

enim multa principia à ſenſu ſumit, tanquam fundamenta demonſtrationum, & inuentionis: quare (inquit Gal.) *ſi à ſenſibus recedendum ſit, nulla ſuppetet demonſtratio rerum ſenſibilium*, id apparet potiſſimùm in Anatomia: exemplo ſit. Qui de diaphragmatis origine demonſtrare aliquid contendit, ponat aliqua principia oportet quæ ſenſu dignoſcēda ſunt, quale eſt diaphragma recipere neruos à vertebris colli in medio ſui: item mediam diaphragmatis partem inniti œſophago, magnæ arteriæ deſcendenti, & venæ cauæ aſcendenti, quæ ſenſu ipſo & aſpectu dignoſci debent in Anatomia: ſine quibus fieri non poteſt, vt de eius principio quicquam demōſtretur: his autem ita poſitis & per ſenſum cognitio, hæc fiet demonſtratio. Theorema eſt anatomicum, muſculorum principium eſſe qua parte neruos recipiūt: atqui aſpectu ipſo certum eſt diaphragma recipere neruum in medio ſui: ergo in medio quantitatis erit diaphragmatis principium: de qua re pluribus in Anatomicis diſputauimus. Alia autem principia intelligētia tantùm dignoſcuntur: quale eſt apud Gal. 7. cap.

cap.lib.1.metho.med.*Nihil abſque cauſa fieri*:& cap.3.lib.de plenitud.*Quod autem quippiam in ſe ipſum agat aut aliquid efficiat omnem captum mentis excedit.*Hoc loco eſt animaduertenda Ariſtotelis ſentētia,quę ſcribitur 9.lib.Phyſ. cōtra Zenonē, qui omnia quieſcere aſſerebat. *Quieſcere omnia, exiſtimare*,inquit Ariſt.*& huius propoſiti aliquam quærere rationem neglecto ſenſus iudicio,imbecillitas eſt mentis,ac hebetudo.* Quare ſtultum eſt contra ſenſus iudicium euidens vti ſophiſticis rationibus: in quam opinionem Gal.cap.5.libr.1. de muſ. motu ſcribit. *Qui euidentibus fidem abrogat ſenſus eſt expers, vt qui de dubiis promptè pronunciat temerarius.* & cap.2.libr. 2. de temperam. reprehendit antiquos qui cognitionem rerum ſenſibilium ratione conſequi tentarent.

De diuiſione demonſtrationis.
Cap. III.

MVltæ ſunt demonſtrationum diuiſiones, verùm quia illarum quædam parùm faciunt ad inſtitutum noſtrum, omnes non deſcribemus. Demon

monſtratio alia eſt propter quid, ſiue per cauſam: alia dicitur quia, aut quod ſit. Demonſtratio propter quid, conſtat principiis immediatis, aut mediatis, quæ iam probata ſint. Cor factum fuit cauum, ad ſpiritus vitales generandos: ergo ſanguinem continere debebat: quæ demonſtratio à fine ducitur. Demonſtratio quia, fit aut per cauſam remotam, aut per effectum nobis notiorem ſua cauſa: huius frequens eſt vſus in medicina, vt patebit in 2. libr. Demonſtrationes quæ fiunt per cauſam remotam debent eſſe negatiuæ: cauſa autem remota eſt qua poſita non ponitur effectus neceſſariò, licet ipſa remota effectus remoueatur: vt omnis peripneumonia febrem habet comitem, hic affectus non habet febrem, ergo peripneumonia non eſt, remota enim febre, non eſt peripneumonia, licet febris neceſſariò non inferat peripneumoniam. Contingit autem aliquando idem demõſtrari demonſtratione propter quid, & quia ſed diuerſo modo. Quod vt intelligatur animaduertendum eſt, aliquam ſcientiam alteri ſubiici tribus modis. Primò ratione ſubiecti, cùm ſcilicet,
ſupe

ſuperioris ſcientiæ & inferioris ſubiectum differt accidente aliquo; vt corpus humanum à corpore naturali diſtinguitur ſolùm accidente, ſanitate nempe, morbo, neutro ſtatu: quocirca Medicina Phyſicæ ratione ſubiecti ſubiicitur. Cùm autem ſuperior probet inferioris principia propter quid, principia Medicinę per Phyſica probari poterũt: vt corpus humanum eſt corruptioni & putredini obnoxium quia corpus naturale elementare putredini ſubiectum eſt. Secundò vna ſcientia alteri ſubiicitur, propter aliquam partem eius doctrinæ quæ alteri ſubditur, quo pacto pars illa Medicinæ, quæ de locis, aëribus, & aquis diſſerit, Aſtronomiæ & Geographiæ ſubdita eſt. Tertiò ſecundum aliquam aut aliquot propoſitiones, eo modo Chirurgia Medicinæ pars ſuperiorem agnoſcit Geometriam: nam quòd rotunda vulnera difficiliùs curentur, quàm alterius figuræ, aſſumit Chirurgus, & quia eſt cognoſcit: Geometra verò demonſtratione probat. Inferior ſciẽtia ſi quãdo ſua principia probare nitatur, id facit ab effectu & experientia, vnaque ſcientia probat ſuas con-

cluſiones per cauſam & per effectum perſæpè: vt hominem aliquem eſſe temperamento calido & ſicco, probant Medici ab effectu: quia eius calor tactu percipitur acris & vehemens, quòd excrementis biliosis, calidis & ſiccis ſcateat. A cauſa verò, quòd ſit ætate conſiſtente, in æſtate, regione calida, ſicca, vſus ſit alimentis calidis, ſiccis piperatis, potenti vino, & ſimilibus. Gal. cap. 2. de temper. probat pueritiam eſſe calidam & humidam per cauſam & per effectum, à cauſa quidem materiali hoc modo. *Prima*, inquit, *eius conſtitutio ex ſanguine & ſemine eſt, quæ humidæ & calidæ res ſunt*: ab effectis *quòd membra infantium quaſi cerea ſint nutrices fingant & forment, quin ſi recens editum porcellum vel edere vel diſſectum inſpicere velis, carnem quidem eius, mucoſam perhumidam, oſſeum verò genus vniuerſum caſeo qui modò ſit coagulatus, ſimile*. Cauſæ autem ille Medico dicuntur ſigna qua ratione per illas deducitur in cognitionem rei propoſitæ, vt legere eſt apud Galen. in fine lib. de plenitud. Gal. libr. 3. de facul. medicam. cap. 25. ſcribit. *Demonſtrationum aliæ, quòd ex neceſſitate hoc illi inſit, aliæ quòd eſſe poſſit* oſten

oſtendant. Nomine poſſibilis, non intelligit contingens, ſed neceſſariũ quod actu non eſt, ſed eſſe poteſt, quo modo probauit lib. 3. de loc. aff. Epilepſiam poſſe naſci ex viſcida, & craſſa materia, ventriculos cerebri obſtruente imperfectè: quòd ſcilicet vna eius ſpecies poſſit naſci ex illa, neceſſario tamẽ id euenit. Neceſſarium verò eſt apud Phyſicos & Medicos, quod ſemper eodem modo fit, aut quod vt plurimùm: ſatis namque eſſe debet Medico veritatẽ contemplanti, ſi demonſtrationes artis ſuæ, ex his progrediantur quæ vt plurimùm eueniunt, Gal. in aph. 58. lib. 6. ſcribit. *Commune eſt huic aphoriſmo, cum reliquis Hippocratis dictis, vt perpetuum quoddam ex figura dictionis oſtendatur, quamuis res ipſa non eodem modo eueniat, ſed licèt raro interdum aliter accidant.* Res mathematicę quòd mutationibus obnoxiæ non ſint, ſemper eodem modo afficiuntur: quæ verò Phyſica ſunt & Medica, quia mutationibus ſubiecta variis, perfectionem illam demonſtrationis non habent, ab ea tamen, quòd non longè remota ſunt, ſcientiæ nomen ſibi quodammodo vendicant. Ariſtot. lib. 2. de demonſ. men-

tionem fecit demonſtrationis eorum, quæ vt plurimùm contingunt. Idem cap. 1. libr. de part. anim. ſcribit neceſſitatem in rebus naturalibus eſſe, per quandã conditionem & non abſolutè: *neceßitas*, inquit, *non æquè in rebus naturæ omnibus ineſt, nã in rebus æternis ineſt ſimplici abſolutáque ratione, ſed caducis gignendiſq; omnibus ex ſuppoſitione*. Satis ergò nobis eſſe debet ſi in rebus medicis demõſtrationes conflentur, ex his quæ vt plurimùm cõtingunt, quod quidam diſtingunt in illud quod maiori ex parte fit, quo pacto non eſt intelligendum, & in illud quod tantam non conſequitur neceſſitatẽ, quin aliquando aliter fieri poſſit quale eſt in Medicina ſcientia accipiendum. Demonſtrationes etiam ad impoſſibile ducentes obſeruantur in medica arte: ſi quis enim ad morborum curationem per ſe vires requiri, eáſque curationem indicare aſſereret abſurdè hoc promeretur quod ſani robuſti curatione egerent.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Demonſtratione Medica.

Caput I.

QVatuor ſūt genera quæſtionum. An ſit, quid ſit, quale ſit, & propter quid ſit: quærunt verò omnes medium & cauſam. Scire an ſit, poteſtate eſt quærere cauſam eſſentiæ rei propoſitæ: ſcire autem quid ſit, eſt illam cauſam agnoſcere: quale eſt poteſtate quærit dignoſcere aliquam cauſam propter quam hoc ſit hoc; ſcire verò propter quid, eſt actu cognoſcere cauſam propter quam hoc ſit hoc: & cùm definitio ſit cauſa ob quam propria affectio cōueniat ſubiecto, omnes quęſtiones reuocantur ad propter quid ſit. Quæſtioni an ſit ſatisfacimus variis modis, prout diuerſa eſt: nam aut quærimus nùm aliquid ſit in rerum natura, vt nùm ſit Vnicornu: huic ſatisfacimus per experientiam noſtram, aut aliorum, quibus fidem adhibere rationi conſentaneum exi-

ſtimatur: aut per partem rei, aut per effectus: per partem quidem quia ſi pars rei quæ quæritur ſit in rerum natura, rē ipſam eſſe aut ſaltem fuiſſe eſt neceſſe: cornu enim Vnicornu quod oſtēditur, Vnicornu eſſe aut fuiſſe conuincit. Per effectus Gal. libr. de cauſ. procat. cauſas procatarticas eſſe probauit, his verbis. *Nemo noſtrorum eſt* (inquit) *qui media æſtate, circa meridiem, ſub ortu canis, ſe in calidis regionibus vento non expoſitis offendi non animaduertat aut fugiat: quòd ſi immoderatiores æſtus omni carerent offenſione, quis vnquam eſſet frigidarum domorum vſus? quæ frigidarum aquarum commoditas? quæ vini? quæ balneorum delectatio?* Vel perueſtigamus, nùm generis alicuius cogniti ſit talis ſpecies: vt nùm ſit aliquis morbus totius ſubſtantiæ: huic reſponderi poteſt per definitionem generis rei, & attributa illius: nam ſi definitio generis & illius attributa conueniant ſpeciei quæ inueſtigatur, ſpecies talis erit in rerum natura. Idem cenſendum de indiuiduo ſub ſpecie contento.

Cap.

Caput II.

QVid ſit, petit definitionem: verùm antequã definiendi præcepta tradamus, pauca ſunt ex Gal. adnotanda de nominum explicationibus: cap. 1. lib. 2. de diff. pulſuum, ſcribit. *Sophiſtæ volũt nomina definiri ſine vlla ſignificatorum diſtinctione contra rationis & logicæ legem*: quæ iubet æquiuoca priùs diſtinguenda quàm definiẽda. De ſignificatione autem nominum ita ſcribit ca. 1. lib. de differentiis ſymptomatum. *De nominibus inter nos quam primùm conuenire debet: ad res autem ipſas properandum, quidam enim litigando de nominibus ætatem conterunt, quare finem artis attingere nunquam poſſunt*: & ad finem cap. 5. lib. 1. methodi medendi, quod repetiuit ex libr. de demonſtratione. *Nõ oportet*, inquit, *nominibus ſeduci, nec qui in his diſſentiunt hos ſtatim in rebus quoque ipſis diſſentire putare: à rerum itaque differentia incipere oportet, non autem nominum, tum oſtendas exempli gratia, quatuor eſſe res: quæ in vicino ſunt poſitæ: poſt deinde demonſtratione confirmetur neque plura eſſe neque pauciora quæ in propoſita diſceptatione contineant*

tineantur, poſtremò vt rerum accommodato cuique nomine, ſic reliquum ſermonem abſoluas: nec mutans dehinc, nec transferens nomen vllum: ſed cui rei ab initio ipſe impoſueris, de eodē perpetuò vſurpandum: quippe ita & dilucida doctrina efficietur, atque à cauillationibus quas homonimia parit libera, & quod fruſtra eſt additum facilè reprehenditur, & quod deficit inuenitur, & quæ conſonant diſſonantve maximè, in eiuſmodi explicationibus ex arte diſcernuntur: & 1.cap.lib.1.de fac. nat. inquit. *Perſpicuitas eſt orationis maxima virtus, quæ nulla re perinde ac inuſitatis verbis vitiatur.* De ſophiſtis autem ita ſcribit cap.7.lib.2.de diff. pulſ. *Primò vtuntur vocibus peregrinis illarúmque definitiones poſtulant. Secundò vtuntur nominibus propriis malè accommodatis. Tertiò ſi quis dialecticæ præceptis eruditus definitionem afferat, illi ſtatim nituntur probare illam definitionem aut eſſe imperfectam, aut prolixam, aut falſam: Quartò omnium rerum poſtulant definitionem: quocirca ne olus quidem emunt citra definitionem, quod eſt perabſurdū: omnium namque rerum non eſt definitio: Quinto volunt nomina definiri ſine vlla cognitione diſtinctionis.* His obſeruatis ad definitionem eſt venien

veniendum, quam Gal. ex mente Ariſt. ſcribit cap. 2. libr. 4. de differ. pulſ. *Duplicem eſſe, vnam quæ planè rei notitiam explicat, quam qui ponunt nomen rei habent: altera eſt quæ dicit eſſentiam rei. Virtus eſt ſua vtrique definitioni*, inquit: *illi quæ notionē explicat, vt omnibus ſit teſtata qui eodem vtuntur ſermone & ad rei eſſentiam non aſpiret: huic verò, quæ eſſentiam docet, vt ei quæ notionem ſubiicit conſentiat, non ſit tamen eadem cum illa. Vnde Ariſtotel. eam nominis appellauit definitionem, vt ſi diceret nomen interpretantem: alteram definitionem eſſentialem quidam vocarunt.* Deinde definitionem eſſe ait, *quæ quid ſit explicat.* Ex his concludit Gal. *abſurdum eſſe, & indicium inanium & vanorum hominum, vbi eos rei propoſitæ afferre tantùm vnam definitionem audias: nam ſunt in quibus, non iam duas ſed tres præſtat aut quatuor facere. Primam quæ eiuſdem linguæ omnibus hominibus ſit manifeſta, quæ quidem de rei eſſentia nihil conſtituit, ſed in nuda limitatur notione: alteram quæ aliquantùm recedat à notione, atque nonnihil accedat ad eſſentiam: ad hæc tertiam, quæ ampliùs cùm de notione tum de eſſentia aperiat: poſtremò quartam, quæ doceat totam eſſentiam, atque*

hanc quidem oſtendendum eſt ad tertiam referri, quam rurſus ad ſecundam atque ita deinceps: Primam autem à ſe ipſa habere fidem, res perſpicuas explicās. Hoc definitionis artificium in omnibus non eſt neceſſarium, Ariſt. lib. de demonſt. aliam commentus eſt definitionis diuiſionem, per comparationem ad demonſtrationem: vt ſcilicet alia ſit concluſio demonſtrationis, alia principium, alia quaſi demonſtratio ſolo ſitu differens. Quæ per effectus conſtituitur definitio, poteſt eſſe cōcluſio demonſtrationis, qualis eſt hæc, os eſt pars corporis maximè dura ſicca, poteſt enim demonſtrari hoc modo. Illa pars debet eſſe dura & ſicca, quæ terrea eſt, & facta ad reliquum corpus ſuſtinendum: at os eſt huiuſmodi: ergo eſt maximè durum & ſiccum. Præterea definitio materialis poteſt demōſtrari per formalem & finalem, vt patet in exemplo dato: ſi quis enim quærat quare os factum eſt durum, reſpondebitur finis, nempe ad ſuſtinendum corpus. Alia definitio eſt principium demonſtrationis, vt definitio ſubiecti, tum etiam finalis. Alia eſt definitio ſitu differens à demonſtratione, qualis

eſt quæ

eſt quæ continet materialem cauſam, & finalem: vt vena eſt pars ſpermatica, ſanguinis cōtinendi & deferendi gratia compoſita; ad hanc reuocatur illa, quæ cōſtruitur ex efficiente cauſa, & finali. Licèt autem hæc ita ſe habeant, nulla tamen definitio de ſubiecto poteſt demonſtrari: nam multæ ſunt demonſtrationes negatiuæ, nulla definitio negatiua: multæ item particulares, nulla definitio particularis: neque etiam in vniuerſali affirmatiua; nam quod demonſtratur paſſio eſt, nulla verò definitio eſt paſſio. Poteſt quidem fieri aliqua probatio per axiomata logica, non tamen demonſtratio vlla: at materialis probatur per finalem. Aſſeritur quidem hoc oſſi cōuenire, non quòd oſſis, hæc ſit definitio. Ad inueſtigandam autem definitionem, magni momenti eſt diuiſio; proinde ad demonſtrandum maximè conducit, cùm definitio ſit demonſtrationis medium. Præterea ſcribit Ariſto. non tantùm diuiſionis artificio inueniri definitionem; ſed etiam propter quid: eius ergo præcepta ſunt tradenda quędam ex Ariſt. Quàm autem diuiſionis artificium ſit difficile, Gal ſignifi-

ſicauit diſputans contra Theſſalum cap.3. lib.1 meth.med.his verbis: *Iam verò difficilior adhuc res videbitur ſi quis primum Ariſtotelis librum, de part.anim. legerit: conatur enim in eo libro omnes animalium differentias enumerare, & vbi multas dubitationes nouit, vix tandem ſuſpectè & timidè pronunciare quippiam audet*: quia tamen Ariſtoteles propiùs ad veritatem acceſſit, nos eius doctrinam ſequemur. Is lib.1.de part.anim. obſeruans præceptum illud, quod tradiderat cap.1.illius lib. præmittit peritiam ſcientiæ de animalibus, præſertim quæ de diuiſione agit, quòd animalium differentiæ propè infinitæ methodo diſponi non poſſent, niſi ope diuiſionis; quod vt faciliùs exequi poſſit, diſputat contra Platonem, qui exiſtimabat ſemper eſſe diuidendum per duas differentias: huius ſententiam Ariſtoteles redarguens, ita argumentatur: *Omne genus in duas differentias diuidi non debet ſemper, nam ſunt quædam, quarum vnica eſt differentia: aliæ autem ſuperuacaneæ ſunt. Secundò ſi omnis diuiſio ſemper duobus membris debeat conſtare, erit diuidendum per priuationem: priuatio autem quà priuatio eſt nullam conſtituit differen-*

tiam,

tiam, nulla enim ſpecies eſſe poteſt eius quod non eſt, differentia autem vniuerſalis ſpecies habeat neceſſe eſt. Tertiò licèt differentiæ ſint vniuerſales, quæ vt genericæ ſpecies contineant, tamen in illis diuidere eſt difficile, quia abſurda non facilè euitantur: ſunt autem illa, ſi idem in plures veniat ſpecies, & ſi cõtrarium in contrario contineatur: vt ſi quis diuidat animal in pennatum, & impennatum; hæc duo contraria reperiuntur in eadem ſpecie, nempe in formica, nam formica alia habet alas, alia non. Item ſi quis diuidat animal in terreſtre & aquatile, terreſtre autem in greſſile & volatile: nam greſſile reperietur in aquatilibus & terreſtribus, Caſtor enim eſt aquatilis, & greſſilis, vnum ergo in pluribus genere differentibus reperietur. His rationibus refutata ſententia Platonis, regulas & modum diuiſionis deſcribit. Prima eſt, vt per differentias eſſentiales diuidamus quoad fieri poterit, ſunt enim illæ vt plurimùm nobis incognitæ: quocirca cogimur recurrere ad proprietates & accidentia. Secunda oppoſitis eſt diuidendum: at oppoſita duo tantùm ſunt, vnum namque vni contrarium eſt ex Ariſtotele in metaph. quare ſentẽtia

Platonis vera erit, immeritóque ab Ariſtotele damnata Nyphus com. in illum libr. Ariſtot. reſpondet ratione Logica, & Metaphyſica debere eſſe diuiſionem bimembrem: illa tamen ratio non poteſt accommodari omnibus doctrinis: quamobrem Ariſtoteles tandem concludit *pluribus diuidendum protinus differentiis, id quod vnum eſt.* Quare tot erunt diuiſiones vnius generis, quot ſunt variæ rationes, & (vt ita loquar) reſpectus illius. Hoc poſſumus docere exẽplo diuiſionis pulſuum à Gal. traditæ: pulſus namque habita ratione quantitatis, diuiditur in magnum, paruum, & mediocrem: ratione virium facultatis, in vehementem, debilem, mediocrem: à tempore motus, in celerem, tardum, mediocrem: atque ita in cæteris. Neque negamus poſſe fieri diuiſiones bimembres cõtinuata ſubdiuiſione, vt ex categoria ſubſtantiæ perſpicuum eſt, tamen in omnibus id poſſe fieri inficiamur planè. Vt autem hæc diuiſionis doctrina clarior euaderet, exercitationem de febrium diuiſione illi annectere commodum nobis viſum fuit: in ea enim ignoratione veræ diuiſionis, tanta diuerſi-

tate

tate certatum eſt, vt nulli reperiantur qui ſibi conſentiant. Febris diuiſio à Gal. ducitur ab eſſentia febris, tum ex eo quod maioris, & minoris rationem habet: præterea à materia ſiue ſubiecto in qua calor præter naturam exiſtit: denique à modo motus. Fernel. diuidit febrem in ſimplicem putridam & peſtilentẽ: ſimplicem verò in Ephemeram Synochum & Hecticam: putridam autem in continuam, & intermittentem. Verùm ſimplex putridæ non aduerſatur, ſed potiùs compoſitæ aut multiplici: adde quod quædam putridæ, vt tertiana exquiſita, eſt ſimplex: ad hæc Synochus eſt ſimplex Fernelio: vt quædam continua eſt ſynochus, cùm tamen illi omnis continua ſit putrida. Auega com. in lib. gal. de febribus diuidit primò febrem, in hecticã, diariam, & humoralem: humoralem, in putridam, & non putridam: putridam in compoſitam, & ſimplicem. Doctorum eſto iudicium, quantùm inter ſe diſcrepent principes in Medicina viri in febribus diuidendis: Fernelio namque ephemera eſt ſimplex, quotidiana putrida; Auegę verò quodiana eſt ſimplex, Ephemera neque ſim-

plex,

plex, neque compoſita. Qui Ariſtotelico artificio ſunt pręditi in hos errores non labuntur: quòd vt perſpicuum ſit, aliquot diuiſiones febrium explicabimus, reliquas perſequuturi in lib. quem de febribus aliquando dante Deo in lucem emittemus. Febris ergo ex effectu quem in manu tangentis producit, alia eſt mordax, alia mitis. A ſubiecto aut vt quibuſdam placet ab eſſentia alia eſt in ſpiritibus, alia in humoribus, alia in partibus ſolidis; vnde dicuntur ſpiritales humorales hecticæ. A duratione Gal. diuidit in Diariam, & in eam quæ eſt plurium dierum: licèt omnis quæ in ſpiritibus ſedem obtinet ſit ephemera, tamen à duratione ephemera nuncupatur, ſubiecti autem contemplatione ſpiritalis. Reſpectu connexionis febrium, alia eſt ſimplex & ſola, alia multiplex, alia compoſita: nam duplex tertiana aut duæ tertianæ, duplex quartana eſt multiplex, hæmitriteus verò compoſita: multiplicitas enim in ſimilium connexione, compoſitio verò in diuerſorum miſcella cernitur. A modo motus febris diuiditur, in continuam & intermittentem: & quia cõtinuitas diuerſa eſt, nam

aut ſibi ſemper in omnibus partib⁹ ſaltem ad ſenſum eſt ſimilis in creſcendo aut decreſcendo; vel eodem modo perſeuerando, aut diuerſa eſt ab illa: Febres dicuntur continentes, diſcriminis gratia: ab hac verò continuæ nomine generis. Continentes ratione materiæ diuiduntur, in eas quæ ex flaua bile, aut ex ſanguine, aut ex pituita ſalſa naſcuntur. Ex qualitate verò materiæ ita diuidit Gal. cap 2 lib. 9. meth. med. vt quædam manifeſtam putredinis notam, quædam prorſus nullam habeant. A more febris; alia dicitur maligna, alia mitis: à temporis differentia alia diurna alia nocturna: à duratione alia breuis, alia longa: ab origine alia eſſentialis, alia ſymptomatica. Neque tatùm hæc methodus febrium diuidendarum obſeruatur in differentiis generalibus, ſed etiam in ſpecialibus: tertiana enim febris duobus modis diuiditur. Ex duratione, alia eſt duodecim horarum, alia plurium: hæc diuiditur in ſimplicem extenſam, quæ eſt viginti quatuor horarum, & in ſufficientem extenſam, quæ porrigitur ad 36. horas. Ratione verò materię, alia eſt quæ ex pura bile extra venas pu-

trente ortum ducit quæ exquiſita dicitur, alia ex bile non pura, ſed cum aliis humoribus miſta: ſi fuerit admiſta cum pituita dicitur quibuſdam maioris famæ, ſi cum ſucco melancholico, minoris famę. Animaduertendum præterea diuiſiones multas fieri per relationem ad finem, nimirum ad ſanitatis conſeruationem aut eius recuperationem: ea ratione diſtribuitur affectio corporis humani in ſanitatem, morbum, & neutrum ſtatum, contra Phyſicorum ſententiam. Hæc ſatis eſſe poſſunt ad demonſtrandum multos ignoratione veri, & Ariſtotelici artificij diuiſionum, in multos errores lapſos fuiſſe, qui eo facilè poſſunt euitari. Hæc logica eſſe multi obiiciēt, nihílque ad negotium medicum facere, quod totum eſt ſitum in dignoſcendis & curandis affectibus, tum in prædicendo. Audiant illi, quod ex illis ſequatur: vanum ergo in medicis libris diuiſionibus vti; at Hipp. lib. de loc. in hom. reprehendit antiquos quòd per genera & ſpecies fuerit illis ignota morborum diuiſio, & Gal. cap. 6. lib. 2. metho. medendi ſcribit, *eſt au-*

tem

tem ab initio propoſitum illud, qui omnem morborum numerum methodo non inuenerit, hunc maximè in ipſis medendi methodi foribus lapſurum. Præterea cùm diuiſione conſtitutum ſit, Fernelij ſententia, nullam ſimplicem eſſe putridam: cùm intellexero ſynochum eſſe ſimplicem, nõ vtar in illius curatione remediis putrentibus humoribus dicatis: ergo diuiſionis conſideratio medico negotio eſt vtilis. His ita conſtitutis, ſumendo differentias rei definiendæ, facilè componemus definitiones: oportet autem proprias cuiuſque ſumere. Exemplo ſit. Proponitur definienda phrenitis; primò inueniendum genus, quod diuidendum eſt, deſipientia nempe: ea verò ex modo dicitur, alia cogitatione, alia ſermone, alia actionibus, aut pluribus ſimul iunctis: à ſubiecto, alia eſt rationis, alia memoriæ alia imaginationis: ab accidente adiuncto, alia cum febre, alia ſine febre; à more alia mitis alia ferox, à tempore alia breuis, alia longa: à motu alia continua, alia intermittẽs. Ex hac diuiſione, eligendæ & ſeparandæ differentiæ Phrenitidis propriæ, quibus à reliquis deſipiẽtiis ſeparetur. Erit ergo Phre-

nitis ſi quis optimè colligat eius differentias, deſipientia cum febre, cum aliquo modo coniuncta, & alicuius ſubiecti, continua & ferox. Melancholia eſt deſipientia ſine febre, mitis, longa, continua; cum motu & triſtitia cõiuncta. Verùm quia omnia non diuiduntur eodem modo, vt diximus, Ariſtoteles libr. 2. de demonſt. alios modos tradidit definitionis perueſtigandæ: quorum primus eſt, vt fiat diuiſio generum in ſuas ſpecies vſque ad infimas, cùm id fieri poteſt; verum genus rei propoſitæ primò eſt inueſtigandum: reperietur autem ſi cognouerimus in qua fuerit categoria, id autem perſpiciemus, partim ex cuiuſque categoriæ deſcriptione, partim ex categoriarum proprietatibus. Quæritur quid ſit febris: reſpondebitur, qualitas, quia per febrem quales eſſe dicimur, nempe febricitantes, aut quia febri aliquid contrarium eſt, recipiatque magis & minùs. Genere ſummo inuento, in qua ſpecie qualitatis ſedem habeat inueſtigabimus eodem artificio; tandem reperiemus eam locum habere in patibili qualitate: cuius cùm variæ ſint ſpecies, tangentem verò calefaciat,

calor

calor dicetur. Is duplex eſt, ſecundùm naturam & præter naturam: & quoniam is locum poteſt habere in pluribus partibus, ſumpta differentia ex ſubiecto, in corde accenſum dicemus. In hac autem methodo duplici modo progrediemur: aut enim per ſummum genus definiemus, eas omnes differentias aſſumentes, quæ ſunt ab illo ſummo genere ad rem definiendam vſque: aut per proximum genus, eiúſque differentiam proximam. Per ſummum genus definientes, temperamentum erit qualitas patibilis, quæ ex qualitatum primarum mutua actione & paſſione in miſtione naſcitur, vt formæ rei, cuius temperamentum eſſe dicitur, ſubſeruiat; ſi definiamus per proximum, febris eſt calor præter naturam in corde accenſus. In illis autem diſponendis, collocatio recta obſeruari debet: nimirum, vt vniuerſaliora præcedant: nihil præterea omitti debet diuidendo eorum quæ neceſſaria ſunt ad rei explicationem. Alia eſt ratio inueniendi definitionem per reſolutionem ex D. Thoma. *Quando aliquid ad definiendum proponitur, in primis animaduertere debemus, quid il-*

lius ſpeciei indiuidua eſſentiale habeant idem: deinde inueſtigare alia quibus res definienda ineſt, num aliquid etiam commune habeant, cum prioribus, licet ab illis differant: poſtremò oportet quærere communem rationem, ea namque erit definitio rei propoſitæ, quòd ſi illa non poßint reſolui in communem rationem; res propoſita eſt æquiuoca, cancer namque attribuitur multis animalibus & morbis, quibus nulla eſt communis eſſentialis ratio, quocirca nomen æquiuocum habetur. Sanitas eſt in partibus ſimilaribus & in diſſimilaribus: in partibus ſimilaribus eſt optima diſpoſitio ratione temperamenti, à qua actiones perfectæ eduntur: in diſſimilaribus eſt etiam diſpoſitio optima, & ſecundùm naturã in numero, figura, magnitudine, & ſitu ex qua actiones perfectæ proueniunt: ergo optima diſpoſitio à qua perfectæ actiones eduntur, erit vera ſanitatis definitio. De modo autem definitionis inueniendæ loquutus eſt Gal. libr. I. de diff. morb. & 4. de differentiis pulſuum, ſumens illum à communi notione, ſic enim ſcribit. *Sumendum ergo eſt hic omnium conſenſu approbatum principium, quòd omnes homines ſe ſanos putant, &c.* & de diff. pulſ. *mo-*

tum

ſum arteria perceptum, ait, *omnes homines pulſum appellare.* Profectò aliqua genera per notionem communem reperiri poſſe non inficiamur, nõ tamen omnia, ne in Medicina quidem, vt per ſe patet: differentiæ verò, quæ adiunctæ generi ſpeciem conſtituant, per notionem illam communẽ, nullo pacto poſſunt inueniri: finis namque pulſus, cauſa efficiens, & alia à quibus differentiæ pulſuum petuntur, communi hominum notioni nequaquam ſubiiciuntur, modus ergo hic, quẽ Gal. deſcribit, ad genera quædam inueſtiganda proderit multum: non erit tamen generalis, qui omnibus conueniat. Hæc in genere accipi debent, nam in ſpecialibus rerum definitionibus, peculiares leges conſtitui debent. Quod ſignificauit Albertus magnus libr. de homine, cùm tradit rationem definiendi facultatem hoc modo. *Facultas animæ debet definiri per actum quem habet circa proprium obiectum, in comparatione ad finem, & per ſubiectum in quo eſt: vt viſus eſt facultas ſenſitiua in oculo exiſtens, circa colores verſans, ad eos diſtinguendos, & motus corporis dirigendos.* In accidentibus definiendis ex Auerr.

7. meta

7.metaph genus à forma petitur, differentia à ſubiecto.

Cap. III.

QVale aliquid ſit reuocatur ad propter quid: continet enim hoc cauſam, quæ quæritur per quale ſit. Cauſarum vero genera ſunt quatuor; materia, forma, efficiens, finis, Gal. libr. de cauſis procat. cauſarum omnia genera ad demonſtrandum conducere inſinuat. *Cauſarum, inquit, vna finis, cuius gratia aliquid fit: nam ſi quempiam ſe in forum conferentem, interrogaueris, quanam de cauſa domo exierit: aduerte quid ille reſpondeat, dicet enim quòd aliquid empturus, vel amicos conuenturus: hoc autem finis eſt: aliud reperitur non minus conſuetum quàm hoc cauſæ genus: quum cauſam in materiam referimus: vnde ſi reprehendatur faber, quòd paruam fecerit lecticam, ſtatim ille id ligno attribuet: figulus, argillæ: pictor, coloribus: atque idem de cæteris artificibus eſt iudicandum: hi enim omnes ſemper in cauſa materiam eſſe dicunt, vt ſi quæras ab ædificatore quare citò ædes corruerint, reſpondebit, quia calx,*

calx, aut arena, vel lutum, aut aliud ſimile prauum fuerit. Tertium eſt cauſa inſtrumentalis: nam ſi quis literas malè pinxerit, atque eum interrogaueris: pennam malè aptatam, aut cultrum pennarium non optimè ſcindere reſpondebit, quæ ſunt inſtrumenta. Quartum eſt efficiens: tum enim in ipſos artifices reiicimus culpã tanquam cauſas errorum, cùm nihil habeamus quod poßit, ad inſtrumentorum defectum referri. Ex quo ſequitur, illum ſeparaſſe inſtrumentalem cauſam ab efficiente, quæ tamen eſt efficiens, ſed minus præcipua: Gal. hoc loco prætermiſit cauſam formalem: quòd ad medicas probationes parùm videatur illi vtilis. Tamen lib. 6. de vſ. par. cap. 12. cauſæ formalis mentionem fecit, quam definiuit, ſecundùm quam aliquid quod fit à cauſa efficiente demonſtratur, cùm præſtans artificium corporis humani oſtenditur, quòd opifex ſit ſapiens. A fine petitur maxima pars demonſtrationum, quæ in libro de vſu partium deſcribuntur, materiæ namque & partium corporis diſpoſitiones pendent à fine, ex Ariſt. ad finem lib. 2. de natura: & primo cap. 1. de part. anim. ſcribit, *materiam talem adeſſe neceſſe erit, ſi*

talis finis futurus eſt, atque etiam fieri moueri-que illud primum oportet, deinde hoc, ac dein-ceps ad hunc modum itur ad finem, cuius gratia res quæq; efficitur & eſt. Arteria ergo craſſa eſt, quò ſanguinem tenuem & ſpirituoſum faciliùs contineat: oſſa dura facta ſunt quò faciliùs corporis molem ſuſtineant. Cauſam materialem in probationem adduci-mus, cùm dicimus pinguedinem aduri poſſe, quòd plurimum habeat aëreæ ſub-ſtantiæ: lapis eſt ponderoſus, quia terreſtris: oculus lucidus, quia aquæus. Hæ cauſæ comparatæ cum effectis diuerſam conſi-derationem habent: aliæ enim dicuntur ſi-mul tempore cum effectis, aliæ non ſunt ſi-mul: atque hæ ſunt generales cauſarũ con-templationes. In Medicina cauſæ aliæ di-cuntur primitiuæ ſiue procatarticæ, quæ cùm à corpore non pendeant, in corpore nihilominus pariunt varias diſpoſitiones, alia cauſa intercedente aut nulla. Antece-dentes verò quæ cùm ſint in corpore hu-mano, & à corpore pendeant diſpoſitio-nes pariunt aliqua mediante cauſa con-iuncta: tales ſunt humores, temperamenta, compoſitiones. Coniunctæ denique ſunt,

quæ

quæ in ipſo corpore exiſtentes, & ab ipſo dependentes, affectiones in eo producunt aduentu primo. Cauſæ procatarcticæ & antecedentes, præcedunt morbos tempore: vt ſolis æſtus, febrem diariam, temperamentum calidum & ſiccum, febrem tertianam: ab his cauſis ad effectus nulla conſequentia eſt neceſſaria, niſi coniungatur ſubiecti præparatio: cauſa ergo procatarctica & efficiens omnis, non producit ſuos effectus niſi patiens ſit aptum, ex capit. 4. lib. de diff. feb. nam ex Gal. lib de cauſ. procat. *ſi inſolatus cauſa eſſet neceſſaria febris, omnes qui paterentur æſtum ſolis febre corriperentur*: at hoc falſum eſt. Hinc pendent omnes ferè demonſtrationes tertij libri aph. Poſitis namque cauſis prægreſſis, hyeme auſtrina & pluuioſa, verè autē ſicco & Aquilonio, deducit mulieres quæ verno tempore ſunt pariturae faile pati abortum. Item ſi hyems fuerit ſicca, & aquilonia, ver autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe & æſtate febres acutas excitari, & lippitudinem, & inteſtinorum difficultates, præcipuè verò mulieribus & viris qui natura ſunt humidiores: ſemper adiūgit præparationem,

quæ neceſſaria eſt ad effectus productionem. In cauſis verò quæ ſunt ſimul tempore cum ſuis effectis, neceſſaria eſt cum illis conſequutio: quoties namque lapis eſt in meatu vrinario, tandiu erit obſtructio, & mejendi difficultas. Cùm effectus alicuius variæ ſint cauſæ totales & integræ (vt loquuntur Phyſici) quia vnaquæque poteſt ſola totum producere effectum, à cauſa ad effectum conſequutio eſt neceſſaria. Interit calor, ſuffocatione, frigore contrario, pabuli defectu: ab vnaquaque harum, ad caloris interitum neceſſaria eſt illatio. Imminuitur viſio, condenſata cornea membrana, aut condenſato humore aqueo, aut dilatato foramine vueæ tunicæ, aut criſtalino humore craſſiore exiſtente, aut leui obſtructione, vel compreſſione affecto neruo optico, aut ſpiritu obtenebrato: ab vna harum ſola & ſeparata, ad debilitatem viſus illatio bona eſt. Nõnunquam ſunt plures cauſæ partiales (vt loquuntur) alicuius effectus: vt pulſus cauſæ coniunctæ ſunt, facultas vitalis, inſtrumentum, & vſus: in illis ab effectu ad cauſam conſequutio eſt neceſſaria, poſito namque pulſu

illas

illas tres adeſſe neceſſe eſt. Vna autem abſente effectum perire, aut non produci oportet: à cauſis autem omnibus ſimul iunctis, effectus producitur. Aliquando vnius effectus plures ſunt cauſæ, non tamen in eodem ſubiecto, vt vitæ diuturnæ multæ cauſæ ratione diuerſorum ſubiectorum: in aliis namque eſt bilis priuatio, in aliis ſubſtantiæ ſiccitas, in aliis alia. Hac in re diſtinctio eſt adhibenda: nam ſi nomen illius ſit vniuocum, illius effectus plures erunt cauſæ per accidens: ſi verò æquiuocum, per ſe, quoniam effectus plures ſunt, non vnus: vt longæ vitæ vna cauſa eſt temperies propria, & per ſe, reliquæ per accidens, vt locus ſiccus, priuatio bilis, locus temperatus, bonum alimentum. A cauſis illis ad effectus non eſt neceſſaria conſequutio, niſi ſit propria per ſe & neceſſaria: in quo namque bona temperies eſt, in eo poteſt eſſe longa vita. Quo pacto autem ab effectu ad cauſam liceat progredi: nunc oſtendendum eſt, quod in exercitationibus apprimè eſt neceſſarium, & ad prædicendum & ad curandum: effectus autem nomine intelligimus, quod

ab alio vtcumque pendet. Ad prædicendum quidem, quia inuenta effectus cauſa per ſigna & à poſteriori, vt loquuntur, ad cauſæ conſequentia deſcendimus: vt ex pulſus debilitate, vrinæ cruditate, animalium facultatum imbecillitate, coniicimus diſſipationem innati caloris, progredientes ab effectis ad cauſam. Ab hac autem aduerſo tramite gradum facimus ad alios effectus, quos cauſæ conſequentia diſtinctionis gratia placuit appellare: nempè ad periculum, mortem, quæ ſequuntur, diſſipationem virium. Decubitus in latus dextrum aut ſiniſtrum ſignificat robus facultatis firmantis & ſuſtinentis corpus per muſculos, ex qua ad ſanitatem fieri poteſt ratiocinationis progreſſus, nam facultatum robur ſanitatem ſignificat. Ad curandum etiam progreſſus ille confert, nam per effectus vt ſigna, cauſæ morborum, partes affectæ, & multa alia cognoſcuntur, ex quibus ducũtur indicationes. Effectus autem omnis, aut proprius eſt cauſæ, & (vt ita dicam) adæquatus, quod ab ea ſola, & ſemper ortum ducat, vt furfures, in vrina craſſa, à ſcabie veſicæ pen-
dent

dent vt à cauſa propria,ex Hipp. aphor.77. lib.4.hic effectus à Gal. lib. de differentiis feb. vocatur ſignum proprium & inſeparabile; aut non poteſt effectus cauſæ adæquari.quod contingit duobus modis:aut enim ex aliqua cauſa emanat, tamen non ex omni talis, atque tūc ab effectu ad cauſam demonſtratio affirmatiua conſtruitur.Caruncularum per vrinas excretio,affectam renum ſubſtantiam indicant, ſiue eſt effectus vlceris renum ex Gal.Com. in aph.libr 4.non tamen omne vlcus renum, hunc procreat effectum. Poſſumus itaque hoc pacto ratiocinari. Omnis caruncularum excretio per vrinas, renes exulceratos teſtatur: hic eger excreuit carunculas per vrinas:ergo illius renes vlcere afficiuntur. Huius generis effectus Gal. libr.citato appellat ſignum proprium, quod conuenit ſoli, ſed non omni: aut clariùs dici poteſt ſi quid alteri neceſſariò aliquādo conuenit, licèt tamen cum eo ſemper non reperiatur, ab eo ad rem quam aliquando comitari ſolet neceſſaria eſt conſequutio: vt caruncularum excretio vlceri renum neceſſario aliquando conuenit:ſenſus grauitatis

uitatis plethoram indicat,non tamen omnis plethora grauitatis ſenſum habet comitem. Cùm vero effectus producitur ab omni tali cauſa, ſed non ſola; negatiua efficitur demonſtratio: febris omnem pleuritidem comitatur,non ſolam tamen; nam peripneumonia eſt cũ febre,nec non phrenitis: quare omnis pleuritis febrem habet comitem,hic affectus eſt febris expers, ergo non eſt pleuriſis.Hos effectus.Gal.loco citato vocat ſigna inſeparabilia quæ conueniunt omni,ſed nõ ſoli:vel clarioris doctrinæ cauſa, ſi quid cõueniat duobus aut pluribus ita vt ab illis non poſſit ſeparari, ab hoc inſeparabili ad ſubiectum affirmãtiuè argumentari non poſſumus, ſed tantùm per negationem; febris enim à peripneumonia &pleuritide ſeparari nullo modo poteſt: quare ſi aliquis affectus ſit ſine febre,non eſt peripneumonia,neque pleuritis:ex his tamen multis ſimul connexis, poteſt componi demonſtratio affirmatiua.Quocirca Medici collligunt multa inſeparabilia, ex quibus ad rem ſignificatam argumentantur affirmatiuè: inſeparabilia ſunt in peripneumonia,dolor pectoris grauans,

uans, difficultas reſpirandi, febris continua, rubor genarum: ex his multis inſeparabilibus, tanquam ex proprio ſigno & inſeparabili, licet colligere affirmatiuè. Iſta omnia fere explicauit Gal. ad finem cap. vltimi lib. de pleni. ait enim, *poſtquam plethoræ cauſas & effectus recenſui ſunt inter hæc indicia* (nam indicia ſumuntur à cauſis & ab effectis) *quædam ſcientifica, vt pote tenſio, grauitas, tumor venarum, pigrities in motu, color, atque etiam pulſuum motus citra externas motiones*, quia ſcilicet ab his neceſſaria fiat deductio ad plethoram, *ſunt & quæ ab his deficiunt, in quo ordine numerantur ſupreſſæ excretiones, otioſa vita copioſi cibi & optimi, balnea inſueta poſt cibum: hæc tamen ſi omnia coëant in vnum, ad indicia accedũt prope ſcientifica*, nam ſunt cauſæ antecedentes, à quibus ad effectus non eſt conſequutio neceſſaria, tamen ſi multa copulentur habent vim fere eandem quæ ſuperiora, et ſi præparatio fuerit in ſubiecto neceſſaria ſunt. *Tertium ab his ordinem obtinet, ſi ſit ſolitus hic vir plethoricis affligi morbis.* In quo continetur præparatio, cui ſi cauſæ antecedentes aut procatatatticæ adiungantur, neceſſa-

riò affectus ſequetur: ſi quis namque plethoricis affectionibus laborare conſueuerit, id eſt fuerit diſpoſitus ad illas incurrendas, accedentibus cauſis plethoram generantibus neceſſariò plethora laborabit. Atque hæc quantum fert noſtri ingenij exiguitas de demonſtratione medica breuiter dicta ſint, quæ ſi probari viris doctis & probis proſpexero, ea augere totis viribus conabor. ſin, æqui boníque ſaltem conſulant, precor, noſtros in re tam obſcurâ & difficili conatus.

* * *

FINIS.

ERuditam reſponſionem à Domino Iacobo Fontano Doctore Medico editam, vna cum duobus libris de demonſtratione Medica, ad reſcriptam diſputationem medicam Domini Petri Sarpillon Doctoris Medici Auenionenſis, nihil aduerſus Catholicam fidem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinam, aut Chriſtianos mores continentem: imprimendam concedimus, I. BRAMEREAV Typographo Auenionenſi. Datum Auenioni in domo ſanctæ Inquiſitionis 18. Septembris, 1603.

F. S. MARIVS.

Inquiſitor generalis ſanctæ fidei.

Errata ſic corrigito.

PAg.14.linea 17. lege characteriſmum, pag.17. linea 4. lege homonymia,pag.18.linea vltima lege ſpirituum, pag.32. linea penultima lege actiuorum,& dele colon,pag 33.linea, 16.lege œſophagum,& linea 17.œſophagi, & linea 20. lege prematur, & 22.premitur, pag 35.linea 1.lege examinarem,pag.45.l.7.lege læſo,& lin.11.ſenſa,pag.49.linea 20.lege officiunt, pag. 64. linea 14.lege authoritates. A pagina 65. vbi agitur de ſecunda parte diſputationis nempe actione partium, vſque ad 97.lege in titulo cuiuſque paginæ de actione, & non de vſu partium, qui error irrepſit abſente authore, pag.67.linc.11.lege quo,pag. 76. lin. 18. lege ipſo,pag.89.lin.1.perfectiorem,pag.104.lin.18.lege afficíque pag.118.lin.5.lege abſimiles, pag.125. lin. penultima lege expectantes,pag.136.lin.15.lege arctico,pag.125.lin.10. lege tendinis; pag.143.lin.2.lege ratio pag.144.linea 9.lege ore, pag. 151. lin.6. lege 8.pag.158.linea 8.lege noſtrum.

Cætera leuioris momenti candidus lector corriget.